EPISTOLA
ILLUSTRISSIMORUM
AC
REVERENDISSIMORUM
ECCLESIÆ PRINCIPUM,

FRANCISCI CAILLEBOT DE LA SALLE, olim Episcopi Tornacensis.
JOANNIS-BAPTISTÆ DE VERTHAMONT, Episcopi Apamiensis.
JOANNIS SOANEN, Episcopi Senecensis.
CAROLI-JOACHIM COLBERT DE CROISSY, Episcopi Montispessulani.
PETRI DE LANGLE, Episcopi Boloniensis.
CAROLI DE CAYLUS, Episcopi Antissiodorensis.
& MICHAELIS CASSAGNET DE TILLADET, Episcopi Matisconensis.

AD SANCTISSIMUM
D. D. INNOCENTIUM
PAPAM XIII.

Occasione Constitutionis *Unigenitus*, Datæ Romæ, anno Domini millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris.



AMSTELODAMI.
Apud NICOLAUM POTGIETER. 1722.

EPISTOLA
AD SANCTISSIMUM D.D. INNOCENTIUM PAPAM XIII.

SANCTISSIME PATER,

CUm primùm communi famâ accipimus divinâ te Providentiâ fuisse in Sanctâ Sede collocatum, nullâ interpositâ morâ properamus testari SANCTITATI VESTRÆ, quàm summâ veneratione sancti Petri successorem prosequamur, quàm firmiter & immotè unitatis Ecclesiasticæ centro adhæreamus, quámque sincerum & acre studium semper præ nobis tulerimus tuendi pro viribus nostris Apostolicæ Sedis gloriam.

Utinam possemus intimos animi nostri sensus SANCTITATI VESTRÆ oculis exponere: videres, SANCTISSIME PATER, quàm enixè & instanter Deum optimum maximum orare & obsecrare non destiterimus, nobis ut Pastorem secundum cor suum daret,

 quám-

quámque nunc alacri confidentis animi sensu immortales eidem gratias agamus, quòd eum Ecclesiæ suæ Pontificem concesserit, qui sedis suæ celsitudini pares animos gerens, in hoc totus incumbet, ut veritatis lumine discutiat novitatis & erroris nebulas, idemque sævientium procellarum æstus caritatis lenitate componat.

I. Summo Pontifici generatim exhibentur Ecclesiæ mala.

Non dubitamus, SANCTISSIME PATER, quin ex isto celsiore fastigio, quo ipse in Ecclesiâ præemines, ad circumferendos hinc & indè Christi nomine pastoralis vigilantiæ & sollicitudinis acres oculos, SANCTITAS VESTRA convertat animum ad eas calamitates, quibus nos undiquè jam pridem miserè conflictamur, & conspectu tot malorum paternæ caritatis tuæ viscera commoveantur.

Et verò quî posset videre Sanctitas Vestra sine acerbissimo animi sensu & dolore, (a) *Patrum dogmata contemni, Apostolicas traditiones pro nihilo haberi, varia recentiorum hominum commenta in Ecclesiis dominari? Ecce homines jam in loquendo sophismatum dolosis artibus, non Theologorum solidis rationibus utuntur. Mundi sapientia primas tenet, Crucisque gloriam longè arcet & abominatur.* (b) *Eversa pietatis & morum dogmata, Ecclesiæ Leges violatæ. Dominandi*

(a) S. Basil. Epist. 61. ad Episc. Occid.

On a traduit ce passage, & quelques autres qui suivent, sur le Grec.

(b) I.

minandi libido eorum, qui non timent Dominum, Ecclesiasticas invasit præfecturas; jam illæ palam in mercedem iniquitatis proponuntur... Canonum vis omnis elanguit: Summa regnat peccandi impunitas & licentia... justum judicium periit: quisque cordis sui desideria sequitur: nullus malitiæ modus. Populi contumaciter indociles: Pastores mutire jam non ausi, turpiter serviunt iis, quorum gratiæ dignitates suas debent. Privata odia specioso pietatis nomine exercentur: discordiæ flamma ab iis excitatur & alitur, qui debitam sibi damnationis pœnam evadere cupientes, communium malorum turbâ & tumultu sua quærunt occultare dedecora: & ideò inexpiabile bellum concient, ne tranquilla pax suæ malitiæ velamen detrahat. Interim rident impii, imbecilles fluctuant: dubitationes de fide suboriuntur: invadit animos ignorantia, quoniam subdola hominum malitia, fallaciter imitando veritatem, Dei verbum corrumpit & adulterat. Silent labia justorum, vocem improbitas liberè exerit... Quæ par esse possit tot calamitatibus comploratio? Qui lacrymarum fontes tot malis sufficiant? Quandiù igitur stare aliqui videntur, quandiù vestigium adhuc aliquod veteris statûs superest, priusquàm integrum Ecclesiis naufragium ingruat, oramus, obsecramus te, SANCTISSIME PATER, *accurre, festina ad auxilium*

dem Epist. 69. ad Episc. Ital. & Gall.

nostrum : inclinato genu supplicantibus salutarem dexteram porrige. Commoveantur in te charitatis viscera : fluant ex oculis tuis uberes lacrymæ, testes acerbissimi doloris tui, nec sinas fidem apud nos extingui.

II. Unde nata sit Constitutio.

Sed ut aptum & congruens tot malis remedium afferre possis, sinas, SANCTISSIME PATER, partem illorum à nobis ob oculos tuos poni : quî enim possemus illa SANCTITATI TUÆ universa exponere? Amans Ecclesiæ Pontifex, non potest non æquas præbere aures iis Episcopis, qui nihil aliud quàm ipsius Ecclesiæ & veritatis causam agunt, idque sibi proponunt unum, ut in gravissimo, quod unquam habuerit Ecclesia, negotio, assignatum sibi à Deo munus expleant.

Non enim privata quædam aut levioris momenti in Ecclesiâ nunc agitatur quæstio, quæ liberam relinquat diversè opinandi facultatem, aut intra angustos limites concludatur. Hîc integrum corpus est novæ doctrinæ, quo universa Religionis capita impugnantur, quodque magis ac magis in dies per universas orbis Christiani regiones disseminatur.

Dignetur SANCTITAS VESTRA sibi ob oculos quasi sub uno conspectu proponere totum virus novarum super gratiâ opinionum, quarum ipsi autores re-

recentem agnoſcunt originem ; effrænam & immanem licentiam corruptorum de moribus dogmatum , quæ inde fluxerunt : turbas & tumultus, quos periculoſa hæc doctrina jam inde ab ortu ſuo in Eccleſiâ concitavit ; artes , fraudes , molitiones , ſeu clanculùm , ſeu palàm & vi apertâ adhibitas, ut nova hæc doctrina prævaleret.

Eſt hoc recens opinandi ſyſtema , in unum quaſi corpus diverſis membris & partibus artificiosè compactum , quod tuis Deceſſoribus periculosâ ſui novitate metum & horrorem incuſſit ; quod in Congregationibus *de auxiliis* apertè damnatum eſt ; cujus cenſuram publicaturos ſe polliciti ſunt ſæpius Romani Pontifices ; quod illâ procraſtinantium morâ, támque longâ impunitate , novas ſibi vires acquiſivit. Hoc idem ſyſtema moliuntur hodiè veteris patrum noſtrorum de gratiâ & moribus doctrinæ ruinis ſuperſtruere.

Hujus molitionis quaſi ſignum ſuſtulere , hinc Sfondratus Cardinalis , inde Pater Francolinus , ſuis abnormibus ſcriptis, quæ pravæ illi doctrinæ cumulum addiderunt. Utriuſque Liber (*a*) palàm Romæ diſſeminatus eſt , & iſtic ad-

(*a*) Nodus Prædeſtinationis diſſolutus. Clericus Romanus contra nimium rigorem munitus.

adhuc hodiè spargitur. Utriusque Liber, quamvis maximè intolerandis erroribus scatens, huc usque censuræ labem & meritam infamiæ notam effugit. Et quidem Sfondrati Liber, licet ad Tribunal Sedis Apostolicæ ab Illustrissimis quinque (*a*) Nostratibus Episcopis delatus, incolumis tamen & integer mansit sub tutelâ fato nuper functi summi Pontificis, cujus arctissimam cum illo Cardinale conjunctionem, utinàm minùs nosset totus orbis Christianus.

Quis jam tùm veteris doctrinæ amans, sanctæque Sedis gloriæ studiosus, non extimuit, cùm videret infaustum illud Opus sub tam illustri tutelâ ac præsidio, non modò tutum, sed etiam honoratum latere ? At quanto acriùs iste in animis Bonorum omnium exarsit timor, cùm censuræ illius tam diù & tam vehementer ab Episcopis Gallicanis efflagitatæ labes, in ipsos illius flagitatores recidit, hoc est in Librum Considerationum Moralium, quem præcipui (*b*) ex illis Episcopis vel approbarant, vel defenderant.

Quâ

(*a*) Carolus Mauric. le Tellier Archiep. dux Rhem. Lud. Ant. de Noailles Archiep. Parisiensis. Jacobus Benignus Bossuet Episc. Meldensis. Guido de Seve Episcopus Atrebatensis. Henr. Feydeau Episcopus Ambianensis.

(*b*) Eminentiss. Card. de Noailles. Jac. Benign. Bossuet Episc. Meldensis.

Quâ totius orbis Christiani consternatione Decretum illud in lucem prodiit! Nunquàm fidei vox & clamor aut altiùs se aut constantiùs extulit. Quæ trepidatio, qui tumultus inter Episcopos! Quàm acerbus dolor eminentium maximè doctrinâ & pietate Theologorum! Quàm aperta Populi reclamatio! &, quod multo luctuosiùs est, quis apud hæreticos triumphus!

Nihil non in hoc negotio inauditâ atrocitate offendit, sive doctrinam ipsam spectes, sive judicii formam & rationem.

Atque ut ab illo primo capite initium ducamus, quis non Bullam *Unigenitus* cum novo recentiorum Autorum systemate comparans, germanam utriusque similitudinem & affinitatem statim agnoscat, dùm illa easdem prorsùs materias amplectitur, iisdem Propositionibus adversatur, easdem, quod vix credibile est, sanctorum Patrum locutiones, contra quas illi novitatum fabricatores jampridem conspirarant, solemni judicio damnat? III. Constitutio spectatur in se, & ratione doctrinæ.

Maximum & primum omnium mandatorum quæ ad morum disciplinam pertinent, unde universa Lex pendet & Prophetæ, quo totius vitæ Christianæ velut anima continetur, hoc est amor Dei; idem etiam maximè omnium à Propositiones quæ spectant magnum Amoris Dei præceptum.

pravis Casuistis impugnatur ; & quantùm Ecclesiæ Patres, præsertim sanctus Augustinus, apertâ in luce præceptum illud suis explicationibus collocarunt, tantùm id obscurare moliti sunt tenebricosi illi Scriptores, eóque demum progressi sunt temeritatis, ut omni pudore abjecto, ipsa sanctorum Ecclesiæ Patrum verba impeterent. Pater Francolinus Jesuita damnat apertè has S. Augustini propositiones : *Deus non colitur nisi amando... Fides sine caritate esse potest, prodesse non potest*; aliasque ejusmodi. HUJUSMODI SENTENTIIS, inquit, SPIRITU VEHEMENTIORI PROLATIS, *abundant Patres, præsertim Sanctus Augustinus... quæ quidem si accipiantur ut sonant, nec ad arctiorem aliquem & benigniorem sensum redigantur, falsæ sunt, & errores continent.*

Cler. Rom. t. 2. disp. 7. pag. 183.

De Discipl. pœnit. lib. 3. c. 6. p. 319.

Ista fuit velut prævia adumbratio censuræ, quæ parabatur contra Sanctorum Patrum propositiones ; cujus perfectio secuta est in eo Decreto, quod ab ejusdem doctrinæ fautoribus per fraudem subreptum est. Damnantur in eo pares omninò propositiones : *Deus non coronat nisi caritatem : qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo in vanum currit... Deus non remunerat nisi caritatem, quoniam caritas sola Deum honorat...* Et aliæ.

Prop. LV.

Prop. LVI.

An

An connivere in re tam clarâ & dissimulare adhuc placet? At audiatur is, qui jussu Clementis XI. & cum approbatione trium è Consultoribus, à quibus hæc censura concinnata est, apertè ad eam tuendam profitetur: *Frustraneum Novaturientium laborem esse in conquirendis quibusdam locis obscurioribus Sancti Augustini:* Patrem hunc *in virtutis excellentissimæ commendationem figuræ forsitan Rhetorices indulsisse paululùm videri. Hæc per figuram Rhetorices dici. Si verò istius-modi locutiones in rigore semper accipiantur strictissimo, neque ad notam alibi ejusdem autoris sententiam reducantur, neque Patres, neque ipsos sacros codices, à dogmatum inter se pugnâ & falsitate facilè vindicari posse.* Hanc de caritate loquendi rationem, quâ usus est Sanctus Augustinus, *opportunam hæreticis occasionem fuisse fabricandi nova Dogmata. Illâ de causâ velle ipsos, eisque temerè adhærentes, ut Tyrones solis incumbant legendis Scripturarum, atque Augustini voluminibus.* Hunc Patrem, ut & ceteros quatuor Ecclesiæ Patres, *exaggeratione quâdam concionatoribus familiari, ita caritatem extollere.* Denique autor ille falsò asseverans quasi certum & indubitatum, Constitutionem *Unigenitus* esse decisionem canonicam universalis Ecclesiæ, concludit *ex S. Thomâ, nec Hieronymum, nec*

Const. Unig. Theolog. propugn. in prop. 51. cap. 6. pag. 451. In prop. 50. cap. 6. pag. 541. In prop. 51. pag. 579.

In prop. 53. pag. 658.

In Synopsi ad prop. 47. cap. 6.

Auguſtinum, nec aliquem ſacrorum Doctorum ſententiam ſuam contra talem autoritatem defendere.

Licet-ne ergò, SANCTISSIME PATER, ita contemptim clariſſimos Eccleſiæ Patres traducere per ora hominum, velut temerarios quoſdam & inconſideratos Rhetores, tamque indignis habere modis uſitatiſſimas eorum locutiones, Scripturæ Sacræ uſu & Traditionis autoritate conſecratas, eaſdemque paſſim adhibitas & in libris de pietate conſcriptis, & à controverſiarum Tractatoribus, & nominatim à celeberrimo Cardinali Hoſio in explicatione Fidei Formulæ contra hæreticos, ſemperque hactenus à Fidelibus uſurpatas, ubi de præcipuo Chriſtianæ morum diſciplinæ præcepto agitur?

Nobis rectius intelligit SANCTITAS VESTRA, quidquid contrà effutiant callidi illi mendaciorum artifices, ut calumniis ſuis, ſi fieri poteſt, fucum hominibus faciant, nec ſermone Traditionis, nec ab Autore Conſiderationum Moralium, nec ab ullo eorum qui Conſtitutioni *Unigenitus* adverſantur, impugnari diſtinctionem virtutum, aut ſanctitatem & utilitatem diverſarum diſpoſitionum, per quos veluti totidem gradûs, peccator ad accipiendam caritatem habitualem præparatur. Omnes hîc vocem *caritatis* acci-

cipiunt, post Sanctum Paulum, ut observat Estius *; post Sanctum Augustinum, ceterósque Patres, ut tradunt Doctores Lovanienses †; post Theologos & Patres Concilii Tridentini, ut notant Suares * & Cardinalis Palavicinus ‡; denique post Episcopos Galliæ in censuris Apologiæ Casuistarum: Omnes igitur hîc vocem *Caritatis* accipiunt, non stricto sensu pro amore justificante & dominante, sed generaliter pro *quavis Dei castâ propter se dilectione*, cujuscumque demùm generis, & in quocumque gradu sit. Omnes illi porrò contendunt cum his Episcopis * ut id semper Patres docuerunt, & etiamnum docent celeberrimæ Facultates Theologiæ †, debere nos ex amore Dei *omnia ad eum tanquàm ad finem ultimum aut actu, aut virtute, referre.*

* Comment. in 1. ad Cor. cap. 13.
† Articuli propositi ad Innoc. XI.
* Lib. 2. de gr. cap. 15.
‡ Hist. Conc. Trid. lib. 8. cap. 14.
pag. 450.
* Mandatum Card. Janson: & Card. Bona Tract. de princip. vitæ Christianæ.
† Art. 5. Fac. Paris. part. 1. Art. Fac. Lovan. propositi ad Innoc. XI.

Hoc, hoc capitale dogma, SANCTISSIME PATER, pessundare nituntur pravi Casuistæ, iniustâ censuræ notâ locutionibus Patrum, quibus illud enuntiatur. Huic olim in Apologiâ Casuistarum *erroris* nomen affinxerunt; Et, quamvis liber iste Romæ proscriptus fuerit, ut in Galliâ, en illi propositum constanter urgent, in idque nunc totis viribus incumbunt, ut pronuntiatum Romæ judicium idem fuisse videatur, quod infa-

mis ille autor tulerat; nec stat penes eos, quin ut canonica universalis Ecclesiæ decisio habeatur Decretum illud, quo damnantur propositiones XLIV. *(a)* & XLVI. *(b)* & aliæ, quæ nihil aliud, seu in seipsis, seu in sensu autoris exprimunt, quàm necessitatem actiones nostras ad Deum actu, aut virtute referendi.

Vellet-ne sancta Sedes damnare nunc doctrinam, quæ etiam nuperrimè sub Innocentii XI. Pontificatu comprobata est? An percutiet anathemate voces sancti Leonis Magni, qui iisdem ac Considerationum Moralium autor verbis asserit *(a)*, *esse duos amores, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur auctoribus. Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest aut Dei amator est, aut mundi: in dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia. Et ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus verò transeunter utendum est.*

Serm 88. de jejun. septimi Mensis.

Pa-

(a Prop. XLIV. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

(b) Prop. XLVI. Cupiditas aut caritas, usum sensuum bonum vel malum faciunt.

Parùm erat pravis Casuistis per obreptionem elicuisse tam abnormem censuram. Ne quid deesset ipsorum victoriæ, neve illa posset quomodocunque obscurari, effecerunt ut jussu functi nuper fato summi Pontificis, & cum approbatione Consultorum, per totum orbem christianum disseminaretur istud dogma, *fidem* hanc, ex quo Decretum istud latum est, teneri ab omnibus oportere, esse scilicet *dilectionem humanam, caritatem humanam licitam, absque omni in Deum relatione, præsertim absque dilectione Dei super omnia. Nec* satis esse si *dixeris licitam eam prædicari propter officium, finem verò dilectionis malum esse..... Non esse verum, quòd omnis actio quæ non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, sit mala, sive ex amore malo perversam trahat originem.....* spem esse *fore ut* FIDEM *illam teneat deinceps Lovaniensis Academia quæ Bullam* Unigenitus *accepit.*

Const. Unigen. Theol. propugn. in Prop. 44. pag. 280.

Ibid. pag. 191.

Ibid. pag. 293. & 314.

An ergo, SANCTISSIME PATER, Lovaniensis, Parisiensis, aliæque Facultates Theologicæ nuntium ei doctrinæ remittent, quam semper hactenus approbante Apostolicâ Sede tenuerunt? An Episcopi sacrum Depositum, quod à suis Decessoribus acceperunt, perire patientur? An ipsa Sedes Apostolica sustinebit hac contumeliâ sanctos Leonem, Gregorium, ip-

ipsúmque Apostolum Paulum afficere, ut repudiatâ eorum doctrinâ ipsi Ecclesiæ coævâ, recentem statuat *fidei articulum*, quem apologia Casuistarum, ceterísque disciplinæ morum corruptores, in locum antiquæ fidei conantur inducere? Defensor Bullæ suam ipse causam prodit, ipsâ, quam hîc præ se fert, novitate.

IV. Propositiones de necessitate amoris Dei, ut cor convertatur.

Nec minùs clara ejusdem novitatis vestigia apparent in iis quæ spectant necessitatem amoris Dei, ut sincera fiat cordis conversio, omnísque peccandi voluntas excludatur. Suares (*a*) & Sanches, (*b*) qui huic doctrinæ adversantur, atque adeo necessitatem amoris Dei in Sacramento Pœnitentiæ rejiciunt, fatentur ingenuè, *hanc opinionem*, *nec* VALDE *antiquam esse*, *nec valdè communem*.

(*a*) Suares in 3. part. q. 90. art. 4. disp. 15. n. 17.

(*b*) In summa cas. lib. 1. cap. 9. n. 34.

Cùm autem comites sint plerúmque novitatis temeritas & audacia, eò progreditur Jesuita Francolinus, ut hac in re non vereatur veterum Patrum *doctrinæ suæ adversantium* voces reprobare. *Hæ propositiones sancti Augustini*, inquit, „ *Non auferuntur peccata, nisi gratiâ fidei* „ *quæ per dilectionem operatur... Non re-* „ *conciliamur nisi per dilectionem, quâ etiam* „ *filii Dei appellamur... Inimicus justitiæ est* „ *qui timore pœnæ non peccat... Qui ge-* „ *hennas metuit, non peccasse metuit, sed ar-* „ *dere.... Timor, quo non amatur justitia,* „ *sed*

Tom. 2. disp. 7. pag. 283.

„ *sed timetur pœna, servilis est, & ideo cru-*
„ *cifigit carnem: vivit enim peccandi volun-*
„ *tas.*" *Tot aliæ hujusmodi propositiones, quibus abundant Patres, præsertim Sanctus Augustinus*, autore illo Jesuitâ, *falsæ sunt, si accipiantur ut sonant, & errores continent.*

De discipl. pœnit. lib. 3. cap. 6. p. 319.

Quis non justo pavore percellatur, SANCTISSIME PATER, cùm videat tali illius Jesuitæ judicio, aliud omnino par brevi pòst succedere, ab ejusdem doctrinæ consortibus vehementer efflagitatum, quo similes prorsùs propositiones damnantur tanquam perversa doctrina illius autoris, qui nihil aliud docet, nisi solo timore non mutari cor, * quamvis idem alibi fateatur timorem istum esse donum Dei, & motum Spiritus sancti, eúmque utilem & salutarem.

Frustra quis tam clarum illius Decreti sensum, & quæ ex eo consequuntur sibi ipsi dissimulare connivendo quærat. Qui illud suis artibus extorserunt, idemque scriptis suis defendunt jussu defuncti Pontificis, & cum approbatione Consultorum,

* Prop. LXI. Timor non nisi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore justitiæ non ducitur.

Prop. LXII. Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.

Const. Unigen. Theol. propugn. Synopsi in prop. 61. cap. 1. Ibid pag. 927. rum, totis voluminibus probant *timore tam voluntatem, quàm manum à peccato cohiberi..... Eo excludi omnem peccandi voluntatem: In* solis *rudibus & ignorantibus*, qui scilicet artem dirigendæ intentionis non callerent, *posse reperiri cum formidine suppliciorum istiusmodi conditionatum peccandi desiderium, Peccare vellem, si possem impunè, non* item *in iis qui* Pag. 992. *fidei principiis satis imbuti sunt: Hunc timorem*, cùm infirmus est, *posse quidem mentem à desideriis, affectibus, cogitationibus liberis cohibere; cùm autem est robustior, id re ipsa præstare, concupiscentiam omnem, & suggestiones Diaboli vincendo, nec sola membra corporis, sed & animum avertendo* Pag. 959. *à crimine.* Aliter sentire, *excusabilis fortè error fuerit ante Constitutionem* Unigenitus: *Post hanc nemo, nisi salutis suæ insipienter prodigus, se in convictissimi erroris gratiam exponit anathemati: Eundem sensum* complexam esse *Ecclesiam* HODIE *univer-* Pag. 991. *sam, ad quam non pertinere adversarios nostros schismaticos Fidelibus manifestum* Pag. 994. *est, utpote repugnantes nunc omni quæ sub cœlo est Ecclesiæ.*

Vides, SANCTISSIME PATER, quò malorum redacti sumus, & quàm illa omnem excedant modum. Ut Bullæ congrua sentiamus, volunt recentem & ignotam Patribus nostris doctrinam teneri

ho-

hodiè ab Ecclesiâ. Abominanda Casuistarum perversorum Theologia, jam pro fide, quæ *nunc* necessariò amplectenda est, protruditur. *Anathemate* percutitur, si quis reveretur aliud istud sancti Pauli *anathema* contra eos, *qui non amant Dominum nostrum* JESUM CHRISTUM. Tanquam *schismaticus*, & à caritate ac communione Ecclesiæ separatus habetur, quisquis noluerit solvere peccatores à gravi jugo diligendæ justitiæ, ut eorum cor à peccandi voluntate liberetur. Istud in posterùm juris habebit lex amoris; ut quis possit sine ullo prorsùs amore converti. Hæc novæ Bullæ doctrina. Nihil jam ejus studiosos defensores moratur, nec verendum sancti Augustini nomen, nec reliquorum Patrum consensus, nec ipsa textuum autoritas, quos omnis semper Traditio suspexit, non ut voces quasdam Patribus temerè & incogitanter elapsas, sed ut verendas locutiones, quibus Ecclesiæ doctrina continetur. *Quid nos*, inquit autor defensionis Theologicæ, post alium ejusdem sententiæ scriptorem, *quid nos morantur dicta sancti Augustini, & quorumdam aliorum Patrum, dubia, obscura, contorta?*

1. Cor. 16. 22.

In prop. 61. pag. 932.

Ut tamen cum illo sancto Patre indulgentiùs agatur, concludit Pater Fontanius,

Pag. 992. nius, *determinandas & limitandas esse* illius locutiones, ne ille contradicere videatur dogmati per Bullam *legitimè definito*: Et revera ipse iis pro suo nutu terminos & limites apponit, quales autem Deus bone! Ac loquens de Theologis, à se diversa sentientibus, iterùm hic in-
Pag. 963. culcat, *nec Hieronymum, nec Augustinum, nec aliquem sacrorum Doctorum, suam sententiam contra talem autoritatem defendere*. Quod quidem jam anteà literis ultimis Decessoris vestri furtim & subdolè insertum fuerat. Quò tendat autem responsum illud perspicit SANCTITAS VESTRA. Ergò-ne in posterum habendi nobis erunt fidei interpretes & arbitri Francolinus, Fontanius, & aliæ ejusmodi quisquiliæ ac sordes, à quibus in Christianam morum disciplinam tam nefanda corruptelæ labes invecta est? Intuere nunc, SANCTISSIME PATER, obsecramus te, & uno conspectu considera, initum jampridem, & primis veluti lineis designatum censuræ istius consilium: censuram mox ipsam, eorumdem machinationibus & dolis impetratam: denique secutam statim censuræ illius explicationem, qualem ipse audiisti, hoc est scatentem totam scandalosis & contumeliosis adversùs sanctos Ecclesiæ Patres criminationibus.

Quas

Quas non laxioris doctrinæ corruptelas in administrationem Pœnitentiæ invehunt perniciosa hæc super magno amoris Dei præcepto dogmata? Potest-ne fervens paternâ caritate Pastoris animus, non intimo dolore ac metu concuti, dum Christi gregem tam cœcis ducibus derelictum videt? Posset-ne siccis oculis intueri tot millium perniciem animarum, pro quibus Christus suum fudit sanguinem, sacrilegam augustissimorum Religionis mysteriorum profanationem, illatam magis ac magis in dies impunè sanctissimis Pœnitentiæ regulis vim & contumeliam, universam denique morum, pietatis, & doctrinæ perniciem & ruinam, quam Novatores in Ecclesiam inducere moliuntur? V. Propositiones quæ spectant Pœnitentiæ regulas.

Tales mendaciorum magistri peracre studium præ se ferant contra insanos errores Petri Oxomensis, invidiosum Rigorismi nomen temerè & magnis clamoribus affingant religiosissimo cuique sanctissimarum legum custodi; non illi fucum facient SANCTITATI VESTRÆ, cujus acuta sagacitas facilè poterit delitescentem sub hoc specioso veritatis velamine astutiam & dolum internoscere. Dùm sic illi *mentiuntur populo credenti* eorum *mendaciis, & mœrere faciunt cor justi mendaciter; consuunt interim pulvillos sub omni* Ezech. XIII.

cu-

cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas, ut interficiant animas quæ non moriuntur, & vivificent animas quæ non vivunt.

Unus ex eis, qui deditâ operâ in unum collegit opus quidquid maximè corrupti laxioris morum disciplinæ magistri super Pœnitentiâ docuerunt, opus illud Romæ edit in publicam lucem: & id ipsi impune est. Alter scriptor paucis contrahit præstantes sancti Caroli regulas: & is Romæ damnatur.

Cler. Rom. t. 2. disp. x. p. 263. collata cum p. 275. Unus, hoc est P. Francolinus, probare nititur multis voluminibus, *cùm quis habet solam attritionem* vero Dei amore destitutam; *cùm accedit ad confessionem sine vero dolore & proposito, atque etiam peccandi consuetudine implicitus; cùm peccatum, præsertim ex gravioribus commisit; cùm recusat pœnitentiam, quamvis proportionatam culpis commissis; quamvis ad tribunal accesserit imparatus, & animo* Ibid. t. 1. disp. 5. pag. 130. *indiscusso, vel perseverans in occasione proximâ, vel nihil emendatus, nihilque conatus ut se* De Discipl. pœnit. lib. 30. cap. 9. *corrigeret, debet* PLERUMQUE *Confessarius ipsum disponere brevi exhortatione, & sic dispositum statim absolvere, quamvis Confessor non habeat aliud signum veræ dispositionis in pœnitente, quàm dictum ipsius asserentis se dolere.* Hæc monstra, hæc portenta Francolinus Romæ sub oculis

postremi

postremi Pontificis docet : & ipsi permittitur palàm profiteri, *hanc esse propriam Romanæ Ecclesiæ sententiam.* Cl. Rom. t. 2. disp. 12. pag. 363.

Alter, hoc est P. Quesnellus, in suis Considerationibus datâ occasione strictim innuit, cùm ad Confessorem peccatores accedunt nondùm pœnitentes & contriti, *modum esse plenum sapientiâ, lumine & caritate, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minùs satisfacere justitiæ Dei, antequàm reconcilientur.* Prop. 87. Addit idem, *Ignorare nos quid sit peccatum & vera pœnitentia, quandò volumus* STATIM *restitui.... & detrectamus separationis istius ferre confusionem.* Prop. 88. Ab annis quadraginta & ampliùs scripserat hoc autor Considerationum Moralium : & sub eodem Pontifice durissima in hunc anathematum fulmina detonuerunt.

Atque ut tam diversæ hinc & hinc imagini ultimus accederet color, magísque tam dispar censuræ & indulgentiæ modus emineret, noluit is qui Pontificio jussu defensionem Constitutionis suscepit, ignorare nos *rigorem Theologorum*, quos Bulla damnat, *in eo situm esse, quòd solâ pœnitentis attritione, & horarum, vel etiam dierum aliquot piâ præparatione, minimè contenti sint.* In prop. 28. pag. 501.

Absit,

Epist. Cleri. Rom. ad S. Cyprianum.

Absit, SANCTISSIME PATER, *ab Ecclesiâ Romanâ, ut vigorem suum tam profanâ facilitate dimittat, & nervos severitatis, eversâ fidei majestate, dissolvat.* Absit, *ut properata nimis remedia* absolutionum & *communicationum præstans, nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimat. Si enim medicus tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem; hoc non est curare, sed occidere.*

Olim, si vel levissimum pœnitentiæ regulis periculum immineret, totas illicò in hanc partem curas, & arrectam sollicitudinem solebat Sancta Sedes convertere. Heu! in quæ tempora miseri incidimus! Quibus ærumnarum incrementis affligimur! Patietur-ne VESTRA SANCTITAS sub umbrâ subrepticii Decreti persuaderi hoc universo orbi christiano, tam sanctas regulas hodiè ab Ecclesiâ Romanâ rejici?

VI. Propositiones quæ pertinent ad lectionem Scripturæ sacræ.

Novitatis fautores, à quibus extincta penè est in cordibus Fidelium sancta caritatis flamma, volunt adhuc iisdem divinam hanc lucem eripere, quæ ex sanctorum librorum lectione existit: Et eadem manus, quæ peccatoribus, quantumlibet indignis, ad participandum Christi corpus & sanguinem promiscuè sanctuarium reserat, Fidelium gregi Scripturæ divinæ sa-

ſacrarium, quamlibet in id aſpiranti, penitùs occludit. Quin & Conſtitutionis defenſor, duritati contumeliam adjiciens, audet dicere, *ſi rudibus & fœminis promiſcua Scripturarum lectio permitteretur, datum iri ſanctum canibus.* Sic ille interpretatur damnationem harum Patris Queſnelli vocum: *Lectio Scripturæ ſacræ eſt pro omnibus.* Prop. LXXX.

SANCTITAS VESTRA, cujus judicia æquitate & bonâ fide nituntur, exiſtimabit proculdubio utramque violari apertè, ſi dicatur iſta propoſitio, vel ſtrictam cuilibet imponere legendæ Scripturæ neceſſitatem, vel excludere ſapientes quaſdam cautiones & exceptiones, quas exigit prudentia erga certos homines adhiberi. Nihil aliud igitur iſta propoſitio niſi manifeſtam veritatem continet, quam Deus ipſe in Scripturis revelatam eſſe voluit, quam Martyres ſuo cruore ſignarunt, quam Patres & ſummi Pontifices populos docuerunt, quam Theologiæ ſcholaſticæ Magiſtri in ſuis ſcriptis conſignatam reliquerunt, ſcilicet Scripturam ſanctam deſtinatam eſſe omnibus hominibus, ut divina Sacramenta, quæ longè ſanctiores exigunt diſpoſitiones, *eamque communiter omnibus hominibus eſſe propoſitam.* S. Thomas 1. p. q. 1. art. 9.

Quis non pavore conſternatus ingemuit

muit ad censuram tam orthodoxæ propositionis, præsertim in hoc regno, ubi Fideles isto cœlesti cibo assiduè enutriti, longo usu & felici experientiâ edocti sunt quæ sit utilitas & consolatio Scripturarum: ubi Pastores, nedum restinguere illam sitim, sanctamque libertatem restringere cogitent, in id totis viribus incumbunt, ut apud Fidelium animos illum sacræ religionis gustum & ardorem augeant.

Divinæ gratiæ beneficio evasimus jampridem nebulosa illa tempora, ubi non immeritò timebatur latens virus in iis Scripturæ versionibus quas hæretici concinnarant. Obviam itum est, ut facile erat, huic periculo, disseminatis passim accuratis & orthodoxis Scripturæ versionibus.

Aliud nunc virus, SANCTISSIME PATER, aliud periculum Ecclesiæ metuendum, à pravis scilicet Casuistis, qui veriti ne atram opinionum suarum caliginem affulgens divinæ Scripturæ lux aperiat & dissipet, immisericorditer è manibus Fidelium extorquent vel ipsum patris sui Testamentum; iidemque in locum libri illius, qui verba vitæ continet, faciliùs sinunt substitui infectos sæculi veneno libros, & tetrum mortis odorem exhalantes.

An poterit SANCTITAS VESTRA non

non vehementer commoveri ærumnoſo ſtatu tot populorum, quos in mediâ luce Evangelii ſedentes funeſta caligo ignorantiæ operit; & quibus iſta divinæ legis ignorantia velut Chriſtianæ pietatis pars ab ipſâ quodammodo Religione imperatur? Dùm ſic dormiunt homines ſecuro ſopore inſepulti, inimicus homo in medio tritici zizania impunè ſuperſeminat, totumque Dominicum agrum occultò peſtilentis doctrinæ veneno inficit.

Aperiantur, SANCTISSIME PATER, tenera caritatis tuæ viſcera, erga optimos filiorum tuorum, qui, ad refocillandam animam, panem à te, panem divini verbi petunt, & ab illâ menſâ durè & inclementer repelli ſe cum gemitu & lacrymis conqueruntur. *Innova*, SANCTISSIME PATER, *dies antiquos ſicut à principio*, cùm ſancti Pontifices divinos libros ipſi in manibus Laïcorum reponerent, ultróque hortarentur legere eos *tanquam Epiſtolam Dei omnipotentis ad creaturam ſuam*, nec dubitarent palàm ipſo nomine Veritatis profiteri, *cùm, juxta teſtimonium veritatis, occaſio ſit errorum ignorantia Scripturarum*, EXPEDIRE CUNCTIS *illas legere, vel audire.*

S. Greg. lib. 4. Ep. 40. Lib. 9. Ep. 75. Greg. IX. Epiſt. 2. ad Germ. Archiep.

Utinam Theologi quidam eas ipſi accuratiùs legerent, ex iiſque puris fonti- VII. Propoſitiones

 bus,

quæ gratiam spectant. bus, & Scriptis sanctorum Ecclesiæ Patrum veram super gratiâ doctrinam haurire assueti, minùs audiissent humana cœcutientis rationis commenta, cujus in superbo sensu cuncta insunt Pelagianismi principia! *Altissimo ac salubertimo sacramento*, inquit Augustinus, *universa facies, atque (ut ita dicam) vultus Scripturarum sanctarum benè intuentes id admonere videtur, ut qui gloriatur, in Domino glorietur.* Enchir. c. 98.

Contrà vult Molina salutis suæ gloriam hominem cum Deo partiri, ita ut *de cooperatione liberâ per suum arbitrium ad gratiam gloriari possit.* Id ex eo systemate necessariò consequitur, secundum quod homo ejusdem illius gratiæ præsidio, quam heri à Deo acceperat, hodiè convertitur, quia libero ejus arbitrio placuit illam hoc precisè momento donare suo effectu. Secundùm illud systema contingere potuit, ut maximus omnium peccator, ut Evangelii Peccatrix, ut Latro, ut Paulus ipso suæ conversionis momento, nullum gratiæ recentem gradum acceperint, sed acceptæ priùs gratiæ liberam tantùm adjecerint suæ voluntatis determinationem. Secundum illud idem systema operatio Dei in cor hominis, totusque redemptionis per Christum effectus, eò demum redit, ut hominum

In Conc. disp. 12.

Ibid. disp. 53. pag. 266.

vo-

voluntas in æquilibrio constituatur : ita ut inter homines duos, aliunde in cunctis æquales, & qui eundem prorsùs à Deo gratiæ gradum acceperint, in pari causâ alter ab altero se ipse suo consensu discernat. Denique per illud systema obscurantur & evanescunt adumbrata passim in Scripturis divinæ in nos providentiæ consilia, totius œconomia Religionis invertitur sublato inter diversos generis humani status discrimine, mutantur usitatæ in Ecclesiâ precum formulæ, gratiarum actio extinguitur, inducitur perniciosa peccati philosophici doctrina, & cæteræ laxioris morum disciplinæ labes, maximéque alitur humanæ superbiæ tumor, dum in negotio salutis primum decidendi jus ac præcipua autoritas libero arbitrio traditur.

Cui dubium videri potest quin secundùm hanc doctrinam jure concludat Molina posse hominem in se ipso *gloriari*,* Suprà. de illâ *partialitate causæ*, quam in operandâ salute propriam sibi ac peculiarem vindicat? Visa est tamen hæc Molinæ confessio durior, & apertiùs contraria Scripturæ, sanctísque Patribus, qui hominem docent nullâ in re gloriari, quoniam omne bonum à Deo est. Itaque Cardinalis Sfondratus, Molinæ discipulus, duxit illius consequentiæ asperitatem esse aliquâ

 in

in speciem moderatione temperandam, sic tamen ut nihil de periculoso hujus opinionis principio remittat. *Tam multum est*, inquit, *quod medicus facit potionem temperando & porrigendo, & tam parum est quod ægrotus facit accipiendo, ut meritò omnia medico, nihil ægroto debeatur.* Quis non videt sequi inde, posse hominem de hoc saltem gloriari, quòd ad potionem capiendam suâ voluntate inductus sit, sicque se ipse ab iis discreverit, qui, quoniam idem noluere, perierunt? Quod verò idem autor adjicit, *Quidquid in causâ salutis præstare homo potest, id planè tam exiguum est, ut omnia gratiæ, nihil suæ industriæ debeat*, est quidem germanus ille animi verè christiani sensus, si de gratiâ rectè opinetur: secùs, nihil aliud est quàm vana & veritatis expers ad Deum blandiloquentia, quâ illi totus honos conceditur actionis, cujus potiorem sibi partem jure potest liberum arbitrium vindicare.

Nodus prædest. dissol. pag. 58. & 59. Edit. Col.

Pag. 338.

Si hæc, SANCTISSIME PATER, doctrina sequitur ex illarum propositionum damnatione, an sine causâ nos contra illam reclamamus? Utrum ita se res habeat, teste & autore apud VESTRAM SANCTITATEM utemur eo ipso, cui tuendæ Constitutionis munus injunxit recèns fato functus Pontifex. *Nul-*

Nullum est, inquit ille, *in eo inconveniens, ut discretio nostra* PARTIM *homini tribuatur, supposito gratiæ auxilio... Quæ nobis in discretione illâ pars est, ea qualiscunque pars nostra, tam exigua est, & quidem à Deo per gratiam accepta, sicque Dei magis quàm nostra, ut repellenda gloriatio sit velut ineptissima, si ob* TANTILLUM A NOBIS AD OPERA BONA COLLATUM *discretionem sibi humana superbia vindicare præsumpserit...* PARUM ILLUD QUODAM MODO PRO NIHILO COMPUTANDUM... *Quia quod homo lapsus confert ad meritum, tam est exiguum, ut compositum cum eo quod præstat gratia, velut arena sit cum monte comparata.* Talem nobis plurimarum Bullæ propositionum obtrudunt interpretationem : hoc est, periculosissimum Sfondrati locum, autore postremo Pontifice, & approbantibus Consultoribus, quasi germanam Decreti illius doctrinam proponunt.

In prop. 25. pag. 408. n. 8.

Pag. 407. n. 6.

In prop. 34. pag. 748 n. 4.

An ista doctrina est, SANCTISSIME PATER, quam S. Paulus Apostolus tam singulari studio Ecclesiæ Romanæ custodiendam tradidit ? Feret-ne SANCTITAS VESTRA, sub augusto nomine illius Ecclesiæ, novos Magistros nihil non audere aggredi contra gloriam gratiæ Dei ? Non jam latent eo-

rum consilia. En ipsi, ut speratum inde fructum colligant, prorsúsque dissipent alienas istas interpretationes, quas isti Decreto quisque nunc suo arbitratu, contra vim verborum reíque veritatem affingit, apertè declarant super unâquaque materiâ quid sibi in animo fuerit.

VIII. Propositiones quæ spectant voluntatem Dei omnipotentem. In Conc. art. 6. q. 19. pag. 271.

Dubium certè non reliquerunt quid molirentur adversùs omnipotentem Dei voluntatem. Non ignorat SANCTITAS VESTRA Molinam, nixum autoritate Pelagii, quem pro S. Hieronymo accepit; nixum item alio Pelagiani cujusdam loco, quem tribuit S. Ambrosio; ponere in Deo ad salutem hominum voluntatem conditionatam, cujus conditio à liberi arbitrii nutu primò pendeat. Unde Cardinalis Sfondratus docet, *nullam apud Deum inter Reprobos & Electos, inter Caïn & Abel, inter Paulum & Judam distinctionem fuisse, sicque omnibus æqualiter salutem optasse.*

Cart. 1. §. 1. n. XI.

Existimant duo illi autores, nullas Deo, licet omnipotenti, satis ex se ipsis potentes suppetere gratias, quibus ad obsequendum sibi homines inflectat, eorúmque voluntatem infallibiliter simul & liberè inclinet. Contrà sancti Patres, ut superiorem vim exprimant omnipotentis voluntatis Dei, utuntur sanctus quidem Prosper his versibus:

Nam

Nam si nemo usquam est, quem non velit esse redemptum; Carm. de Ingr. cap. 13.

Haud dubiè impletur quidquid vult summa potestas.

His autem verbis S. Fulgentius: *Omnes quos Deus vult salvos fieri, sine dubitatione salvantur.* De Incarn. & gr. cap. 31.

Novit, SANCTITAS VESTRA, quàm facilè sancti Patres, & post eos Theologi, concilient capitale illud dogma cum eo textu Apostoli, quo dicitur Deus velle omnes homines salvos fieri. Damnantur tamen illæ propositiones, quamvis earum altera referatur in libro Considerationum Moralium sub nomine S. Prosperi. Atque ut illius censuræ æquitatem statuat P. Fontanius, in medium adducit, tanquam doctrinam *Catholicorum*, excogitatam à Molinâ *voluntatem Dei conditionatam*, *cujus fructus* scilicet *à conditione homini liberâ suspenditur*. An poterat initum à novis autoribus consilium peragi fideliùs? Triumphant Molina & Sfondratus, sancti Patres damnantur. In prop. 13. n. 4. 5. 7. 10.

IX. Propositiones de Redemptione Christi.

Nec minùs apertè circa Christi redemptionem propositum sibi finem persequuntur. Hac de re sic statuit Tridentina Synodus. *Etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, qui-*

bus meritum passionis ejus communicatur. Deflectunt ab hac doctrinâ Molinæ discipuli. Non illi satis habent, ut secundùm Bullam Innocentii X. profiteamur, *blasphemum esse, impium, & hæreticum dicere, Christum pro salute duntaxat Prædestinatorum esse mortuum. Cùm sit certum*, ut ait Clerus Gallicanus, *Christum mortuum esse etiam pro Reprobis, qui ipsius gratiæ resistunt.* Ulteriùs progressi contendunt, gratiam, quam nobis Christus suo sanguine meruit, ità generaliter omnibus hominibus communicari, illiúsque gratiæ effectum sic pendere à nutu & potestate liberi arbitrii, ut hominis sit de victoriâ decernere: quasi jam non sit ampliùs Deo vincenti gloria & imperium.

Lettre à la Reine Anne d'Autriche 1. Sept. 1656.

Oportet Bullæ autores sibi in animum obfirmatè induxerint, quocumque modo recenti favere systemati, qui, si quis doceat, *Christum se morti tradidisse ad liberandum Electos* in eum immisericorditer sæviant. Ista enim propositio, cùm excludendi vim non habeat, *ipso tenore verborum*, atque adeò eo sensu quo illam explicari jubet Clemens XI. dogma continet quod tam evidenter est ex fide, ut contradictoria propositio sit certè manifesta hæresis, scilicet, *Christum se morti non tradidisse ad liberandum Electos.*

Prop. XXXII.

Litteræ Pastoralis Officii.

Nec patitur Bullæ defensor ignorare

nos

nos quem sibi verè finem in illâ censurâ proposuerint. Dignetur SANCTITAS VESTRA intueri quàm imperiosè in signum catholicæ professionis super eâ re exigat ut admittatur generalis gratia, *quâ adulti qui pereunt non fuerint destituti.* Videtur id propositum habere in animo, ut per suas omnes partes funditùs destruat grande mysterium divinæ prædestinationis. Cùm enim profundam illius altitudinem adorare deberet in discretione parvulorum, in quâ præsertim illa elucet, hac etiam parte dat libero hominis arbitrio primam decidendi vim & potestatem, & novo ac temerario ausu, *parentibus sufficientia tribuit media, quibus parvuli cujuscumque salus valeat saltem precibus obtineri.* Ita; postquàm jus & autoritatem discernendi se primitùs, quantum ad adultos pertinet, posuit in libero eorum arbitrio, idem juris & autoritatis, quantùm spectat ad infantes, in parentum arbitrio constituit. Nonne sic Molinæ & Sfondrati doctrina velut solemni Bullæ præconio consecratur, & novis insuper corruptelis inficitur?

In prop. 33. p. 709.

In prop. 32. pag. 676. n. 8.

X. Propositiones ad utrumque fœdus pertinentes.

Conflata ab iisdem contra veterem Patrum doctrinam conspiratio manifestè etiam apparet in iis quæ ad utriusque Legis discrimen pertinent. Quoniam, ex novi systematis doctrinâ, in omni sta-

tu gratia humanam voluntatem in æquilibrio conſtituit, nec ſine illo gratiæ æquilibrio dici poſſet homo legis violatæ reus, crimini dant ſi quis doceat, paucis quibuſdam exceptis, quibus ſingulari beneficio ſuam Deus gratiam indulſerit, in hoc ſtatu homines *fuiſſe ſuæ ipſorum infirmitati derelictos.* Quòd ſi demonſtretur eis ſecundùm ſanctum Auguſtinum, ſanctum Thomam, alióſque ſanctos Doctores, ſecutos hac in re ſanctum Paulum, fuiſſe hoc in lege magnum myſterium, ideóque eam datam, ut *homo ſuperbus humiliaretur, ſibique ipſi relictus, proprio experimento infirmitatem ſuam recognoſceret*: reponunt illi ſcilicet, *divum Auguſtinum pluribus locis duriùs loqui de Lege veteri. . . . eúmque, vel nativo impetu animi, vel æſtu diſputationis abreptum, videri ad extrema declinare.*

S. Th. 1. 2. q. 106. a 3.

Moraines Anti Janſ. diſp. 24. n. 44. P. Annat. lib. 6 cap. 2. p. 854.

Sic nempe, nec id obſcurum, muniebant cenſuræ viam. Conſequenter ergo damnantur hodie illi, ut putant, *exceſſus*, damnatis propoſitionibus quæ ipſis ſancti Auguſtini, ſancti Thomæ, & eminentiſſimorum Theologorum verbis expreſſæ ſunt. Quid igitur tenendum erit in poſterum, ut ab his ſancti Auguſtini *exceſſibus* caveatur? Nullus jam dubio locus ſupereſt: id Bullæ defenſor apertè declarat. Gratia Molinæ ſufficiens, da-

data omnibus generatim Judæis, *ſine quâ ex contemptu legis rei non fuiſſent conſtituti*, erit in poſterum doctrina Eccleſiæ: ſanctorum verò Auguſtini & Thomæ conſtantiſſima dogmata tanquam *exceſſus* anathemate percuſſa proſcribentur. In prop. 5. pag. 135.

Expendat SANCTITAS VESTRA, an manere tranquilli poſſint Epiſcopi, dùm vident in quàm extremo diſcrimine verſetur Evangelium gratiæ Dei. Tam vivis, tam egregiis paſſim apud Prophetas & Apoſtolos adumbrata coloribus gratiæ potentia, evanida jam & languens ad nihilum recidit. Et eſt hîc aliud Moliniſmi artificium. Quicunque autem illius doctrinæ principia ſequitur, non debet æquo animo pati, ut, quantùm ad vim & virtutem attinet, operatio, quæ ſecundùm illos autores efficaciam ſuam ducit à præviſo voluntatis humanæ conſenſu, comparetur cum mirificis illis operationibus, quæ ſuam omnipotentiæ Dei efficacitatem debent. Et verò in Congregatione de *Auxiliis*, *omnes ex Societate Patres per diverſas provincias diſperſi*, declararunt ore *Vaſtidæ Jeſuitarum cauſam agentis*, *non poſſe admitti à ſe articulum V.* à Clemente VIII. propoſitum, qui poſtea his verbis concluſus definitúſque eſt: *Hæc gratia*, nempe efficax, *habet ſuam efficaciam ab omnipotentiâ Dei, & à* XI. Propoſitiones quibus demonſtratur quam vim habeat Deus in corda hominum; & quantopere Chriſto homines indigeant. Ex actis Congreg.

dominio quod summa divina Majestas habet in voluntates hominum, SICUT *in cetera omnia quæ sub cœlo sunt, secundùm sanctum Augustinum.*

Reprobat Bulla omnes istas comparationes, quamvis autor Considerationum Moralium fateatur summum esse discrimen inter agentia libera, & agentia necessaria; quamvis agnoscat cum Tridentinâ Synodo voluntatis liberam gratiæ cooperationem; quamvis doceat secundum Bullas Innocentii X. & Alexandri VII. hominem in statu naturæ lapsæ, à Deo motum & excitatum, posse resistere, si velit, gratiæ etiam potentissimæ, ut resistere potest etiam vehementioribus tentationibus; quamvis firmiter teneat esse gratias interiores Christi, quibus hominum voluntas resistit: quamvis denique, si de illis propositionibus, ut æquum est, *ex tenore verborum* judicetur, tota vis comparationis manifestè incidat in *omnipotentiam gratiæ*, & in *ideam omnipotentis operationis quam Deus ipse* de eâ *nobis tradidit*, miniméque adeo in concordiam gratiæ cum libero arbitrio. *Æquum non est*, inquiebat Clemens VIII. *cùm doctrinæ sancti Augustini multi Pontifices, prædecessores nostri, tam acres fuerint assertores & vindices, ut quasi hæreditario jure eam in Ecclesia relinqui voluerint, æquum non est*

Scriptum Clem. VIII. in Præfat.

ut

ut patiar illam hac hæreditate privari. Id aggrediuntur hodie, SANCTISSIME PATER. An hoc SANCTITAS VESTRA patietur?

Sine ullo pudore proſcribunt ſanctiſſimas magni illius Doctoris propoſitiones: reprobant in quolibet autore, quod ſanctus Auguſtinus in omnibus operibus ſuis docet, nempe *fidem eſſe primam gratiam quam à Deo accipimus.* Sicque illos obcœcavit effrænata cupiditas Patris illius doctrinam in omnibus ferè ſuis capitibus deſtruendi, ut non viderint hanc eandem locutionem adhibitam eſſe à Deceſſoribus tuis ſummis Pontificibus, à Synodo Tridentinâ, ab omnibus ſine ullâ exceptione ſanctis Doctoribus.

Prop. XXVI. XXVII.

Bonif. II. Ep. ad Cæſar. Arel.

Sed quid intentatum aut inauſum eſſe poteſt iis, quibus certum fixúmque eſt pro dogmate fidei in Eccleſiam protrudere gratiam æquilibrii datam generaliter omnibus hominibus, unde ultro ſequitur poſſe fieri ut numeroſiſſimi populi atque etiam integræ gentes, ſine fide Mediatoris, ſine cognitione JESU CHRISTI, ſine præſidio Religionis Chriſtianæ, non minùs ad veram juſtitiam & ſalutem æternam perveniant, quàm gentes illæ, quas Deus è tenebris in admirabile lumen Evangelii tranſtulit, quaſque in Eccleſiæ Catholicæ ſinu ſanctificat.

Fru-

Frustrà, SANCTISSIME PATER, quâ es animi perspicaciâ præditus, fucum illi facere tentabunt religioni tuæ, minutis, & sæpe admodum periculosis subtilitatibus. Per se ipsam judicabit SANCTITAS VESTRA sub oculis Dei, & incorrupto Religionis lumine, an dici posset tam vehementer, tam universaliter nobis omnibus opus esse Christo, si non liceat amplius Christiano exclamare ad Deum: *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, nisi peccatum, sine Fidei lumine, sine* CHRISTO, *& sine caritate?*

Prop. XLVIII.

XII. Propositiones quæ alias materias spectant.

Plura fortasse ad te scribimus, SANCTISSIME PATER, quàm Epistolæ modus postulat, pauciora certè multò, quàm rei gravitas exigit. Quid enim his non posset adjici, si vellemus reliquas singulatim recensere propositiones de Gratiâ, de duobus Fœderibus, de potestate Clavium, déque aliis compluribus materiis: Si & scriptis Patris Viva (a), & opere Patris Desirant (b) *ex jussione* Clementis XI. composito, & testimonio eorum Bullæ defensorum qui vim illius & sensum accuratiùs norunt, & soli cum autoritate Romæ loquuntur, ostenderemus quantùm illo Decreto roboris acquirant profanæ recentium temporum novitates: si denique in unum colligentes quæ Bullam illam præcesserunt, & quæ ean-

a Trutina Theologica Thesium Quesnelliarum tom. 2.

b Augustinus vindicatus contra 101. damnatas Pasch. Quesf. Proposit.

eandem consecuta sunt, fusè demonstraverimus, ut id à nobis jàm in memoriali nostro præstitum est, ad nihil aliud valere hanc Bullam, quàm ut ad effectum perducantur inita à Patre Francolino eique adhærentibus, & exploratò constituta consilia penitus abolendi omnem antiquitatis doctrinam; excutiendi è manibus *juniorum* Theologorum scripta *veterum*, quasi *ambigua multa*, *& periculosa*, *imò falsa continerent*; extinguendi gustum omnem solidæ eruditionis & veræ Theologiæ, nobísque sanctorum Patrum loco duces & Doctores substituendi *Molinam*, *Lessium & Suarezium*, *quorum scripta nempè clariora & certiora sint*, *uberiorem doctrinam contineant*, *&*, quod valde observandum, *nostris usibus magis accommodatam*?

Atque ita, Sanctissime Pater, impugnata apertè Religio in suis dogmatibus; Hierarchia in suis juribus; christiana morum disciplina in eo quo tanquàm basi & animâ nititur; deletæ funditus Pœnitentiæ leges & regulæ; veteris & novi fœderis inducta confusio in eo capite, quo præsertim à se invicem distinguuntur; omnipotentia Dei subjecta libero hominis arbitrio, & ad ejus nutum suspensa; complures alii doctrinæ Christianæ articuli in summum discrimen ad-

Discrimen summum in quo doctrina Ecclesiæ, Christiana morum scientia, disciplinæ leges versantur, facit ut tot homines sibi potiùs quidvis

patiendum ducant, quàm ut accipiant Conſtitutionem.

adducti, ſacer Scripturæ & Traditionis ſermo proſcriptus: En, SANCTISSIME PATER, quæ ſit noſtrarum & cauſa & materies querelarum. At illæ ipſæ querelæ nobis hodiè crimini dantur: Quin etiam *unum jam crimen eſt, & quod ſeverè puniatur, accurata ſcilicet paternarum Traditionum obſervatio. Ob id patriis è ſedibus abiguntur pii, & in ſolitariis locis quærere perfugium coguntur. Non jam homines moratur, aut venerandæ ſenectutis canicies, aut aſſidua bonorum pietatis operum exercitatio, aut vitæ ad Evangelii normam diligenter exactæ æquabilis & perpetuus tenor, ſibique ſemper conſtans à primâ juventute ad ipſam uſque ſenectutem: Dúmque ſceleratorum nullus niſi ex judiciorum formulis & præſcripto legum judicatur, etiam Epiſcopi calumnia unius interpoſitâ voce damnantur.... Quæ verò indè conſequantur, etiam ſi nos taceamus, nemini non perſpecta: exilia Presbyterorum, exilia Diaconorum, totiúſque Cleri miſeranda vexatio. Neceſſe eſt enim vel adorare imaginem, vel ſævientis perſecutionis flammæ tradi. Hinc populorum gemitus & plangor, juges lacrimæ, privatimque & publicè acerba omnium comploratio. Nemo enim ita ferreus & inhumanus, ut, amiſſo Patre, tam ſævum orbitatis vulnus æquo animo ferat. Plangore & lamentatione omnia*

E. Baſil. Ep. 70. ad Epiſc. Gall. & Ital. & ad Papam.

nia perſonant, civitas, agri, viæ, ſolitudines. Una vox omnium, una comploratio: Ablatam eſſe omnem cordis lætitiam & exultationem, feſtoſque dies in luctum converſos..... In maximo noſtro dolore hoc tantùm ſolatio utimur, quòd non propter opes, non propter honores, non propter aliud quid ejuſmodi rerum temporalium tot patimur mala; ſed quoniam conſtanter dimicamus pro communi ſanæ doctrinæ theſauro, pro pretioſa hæreditate veritatis, pro ſacro avitæ fidei Depoſito. Lugere nobiſcum ne dedigneris, ô Tu, quem fratrum, quem filiorum *amor tangit*, SANCTISSIME PATER; *dúmque apud nos occluduntur piorum ora, & audaci blaſphemantium linguæ nihil non licet*, liceat nobis per SANCTITATEM VESTRAM in caritatis tuæ ſinu fidenter deponere ſollicitudines noſtras, graviſſimúmque dolorem, quem nobis inurunt inflicta Eccleſiæ in ſuis Dogmatibus & Regulis vulnera. Utrumque in pari verſatur periculo. Eſt enim ejuſmodi totum hoc infelix negotium, ut dubitari poſſit magis-ne ipſius injuſtitiâ rei, an vitioſâ judicandi formâ laboret. Et certè par erat tam inuſitatum in ſe & inſolens Decretum, inuſitatâ etiam & prorſus inſolente viâ tranſigi. Quæ quidem inaudita hactenus contra normas juris omnes & præſ-

præscripta legum judicandi ratio si rata erit, pestiferum certè jam nunc toti Ecclesiæ, & certam in ventura secula perniciem trahens exemplum statuitur.

Consideret interim SANCTITAS VESTRA, (neque enim sine causâ id permisit, qui malis hominum benè utitur Deus) quàm illæ in omnibus ferè capitibus palam violatæ leges promptum & exploratum ipsi malo remedium suppeditent, cùm totidem contra Bullam illam indicia & argumenta præbeant abusûs atque subreptionis. Facit summa æquitas tua, SANCTISSIME PATER, ut speremus non molestè laturam SANCTITATEM VESTRAM, si aliquot ex eis ante oculos tuos exponamus: cetera, quæ omitti à nobis Epistolæ brevitas jubet, facilè pro insitâ mentis sagacitate ipse perspicies.

XIII. Spectatur Constitutio in sua Forma. Manifesta abusus & obreptionis indicia in ea ratione qua Decretum illudlatum est.

Diuturnum passus carceris tetri horrorem sanctus ille Cardinalis, cujus sanguinis vox adhuc clamat ab extremis terræ finibus, recens animam expirarat pro defensione illius causæ, in quâ christianus orbis perspexit an sub ultimo Pontificatu, sanctæ Sedis, & ipsius Religionis honos defensus utcumque fuerit, meritisque pœnis coercita eorum effrenata cupiditas & potentia, à quibus sic corrupta morum disciplina est, ut idolo-

latriæ

latriæ praxes permitterent : cùm ecce ejuſdem morum corruptelæ defenſores alium Cardinalem non minore audaciâ aggrediuntur, infenſum pariter pravæ eorum doctrinæ, & claritudine Sedis ſuæ adhuc in Eccleſiâ eminentiorem.

Nonne ante omnia oportuit, ſi vel leviſſima illius Præſulis haberetur ratio, communicari cum illo univerſa capita, quæ reprehenſione digna videbantur in eo opere, quod comprobarat, præſertim cum illius operis delatores meritò ſuſpectos tot eorum contra ſanam doctrinam ejuſque vindices temerarii auſus facere debuiſſent?

At certè illius cauſæ gravitas neceſſariò exigebat, ut ad eam maturè penſandam Cardinalium cœtus, aut etiam numeroſius Concilium cogeretur.

Cùm de illo uſu, tanquam de *antiqua* Eccleſiæ Romanæ *conſuetudine*, loquuntur Concilia Generalia, commonſtrant *quàm ſit* chriſtianæ *Reipublicæ conveniens, ut juxta vetuſtum morem gravia & ardua negotia de Cardinalium conſilio, directione, causâ quoque maturè cognitâ deinceps fiant,* PRÆSERTIM CAUSARUM FIDEI DECISIONES. Multitudo delatarum propoſitionum, gravitas & pondus difficillimarum quæ ſint in totâ Religione quæſtionum, autoritas ejus operis quod

Conc. Baſil. ſeſſ. 23. p. 562.

quod à tot annis maximo omnium plausu legebatur, justa suspicionis ratio contra illius accusatores, ejusdem Approbatorum & Defensorum non spernenda sanè dignitas, excitanda procul dubio per totum christianum orbem tam temerario ausu discordiæ flamma, omnia denique evidenter demonstrabant quantò gravioris momenti negotium istud esset iis omnibus, quæ vulgò apud sanctam Sedem gravissima habentur, & propter quæ solet Cardinalium cœtus convocari.

Cur istæ regulæ, quæ in rebus longè levioris momenti nunquam omittuntur, in hac omnium gravissimâ prorsùs neglectæ sunt? Cur repudiata, quæ solent ex mutuis inter se deliberantium collocutionibus existere, doctrinæ & consilii præsidia? Cur in Cardinalis negotio, non convocatus Cardinalium cœtus? Lucem nempe clarissimi conventûs fugiunt opera tenebrarum, nec amant nisi furtim & in tenebris tractari. Selecti octo aut novem Consultores, iique, SANCTISSIME PATER, quâ selecti manu! Unus ex eis, ob significatum veteris doctrinæ studium aliquod, ab illo concilio solerter ablegatus: Imò, ipsa illorum Consultorum suffragia pro nihilo prorsùs habita; & damnata cum ceteris Prop.

Prop. LXIII. (*a*) quamvis *dimittendam esse uti veram hanc propositionem Qualificatores omnes dixissent, uno tantùm excepto, qui malè sonantem in terminis existimavit*: Istud-ne ergo vocari potest canonicum sanctæ Sedis judicium? Istud-ne est maturum & prudens examen, quod totus orbis ab Ecclesiâ Romanâ expectat, cùm ad illius tribunal negotium aliquod defertur? Obtestamur SANCTITATEM VESTRAM, ut judicet an Romanæ Curiæ intersit, ratam haberi ejusmodi formam judiciorum de rebus in fide gravissimis, quæ patentem aperit fraudi, & artificio, & calumniæ viam.

Quàm illa, SANCTISSIME PATER, constantibus Ecclesiæ Romanæ regulis ac principiis adversatur! Jam à primis temporibus Ecclesiæ, verendus & illustris Clerus ille nihil vehementiùs præcipiebat, quàm ut *in tractandis gravibus negotiis collatio consiliorum fieret cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis... Perquàm invidiosum illi & onerosum videbatur, non per multos examinari quod* ad *multos* pertinebat, *& unum sententiam dicere*, cùm res *multos*, imò & omnes spectaret: *Quo-*

Ep. Cleri Rom. ad S. Cyprianum.

(*a*) Prop, LXIII. Baptisatus adhuc est sub Lege, sicut Judæus, si Legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

Quoniam inquiebat, (& hæc verba procul dubio SANCTITAS VESTRA diligentissimè pensabit) *firmum Decretum non potest esse, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum.*

Et verò videmus supremos Pontifices secutis deinde seculis palam professos, *ea* se demum *Decreta Prædecessorum suorum confirmaturos, quæ ipsi synodaliter statuissent, & probata essent*; nec ulla se unquam edituros, nisi *consilio & directione Cardinalium.*

Rubeus in vitâ Bonifacii VIII.

Quot Decreta ob neglectam hancce regulam fuerunt infirmata? Anno circiter 498. *Multi Clerici & Presbyteri se à communione Anastasii Papæ ejecerunt, eo quòd communicasset* SINE CONSILIO *Episcoporum, vel Presbyterorum, vel Cleri cunctæ Ecclesiæ Catholicæ, Diacono Thessalonicensi nomine Photino.*

Anast. Bibliot. In vitâ Anastasii Papæ.

Septimo seculo reclamatum est contra Papam Cononem, quòd statuisset aliquid *ultra consuetudinem, absque consensu Cleri, ex immissione malorum hominum.*

Lib. Cont. In vitâ Cononis a. 686.

Ipsi Papæ, ut Paschalis II. agnoverunt irrita & nulla haberi oportere, *quæ sine Fratrum consilio fecissent.* Plurium Bonifacii VIII. Constitutionum suspendit effectum Benedictus XI. *quia de Fratrum consilio statuta* illa *non edidisset.*

Conc. t. 10. p. 768.

Atque ut recentibus tantùm exemplis uta-

utamur, in negotio pertinente ad Tribunal Monarchiæ Siciliensis, gravissimo illo quidem, minimè tamen cum præsenti causâ Constitutionis comparando, vidit SANCTITAS VESTRA publicatum Romæ, & solitis affixum locis primum Decretum, cujus hîc asservatur exemplar, idemque paulò pòst subductum è publico ob id formæ vitium, ut aliud in ejus locum substitueretur.

Id expresè definiunt celeberrimi Theologi & peritissimi Canonistæ, ut nos docet Cardinalis de Cusa referendo *sententiam aliorum :* apud quos, inquit, *ultima resolutio est, quòd in tangentibus universalem Ecclesiam verum est Papam sine Cardinalibus nihil posse.* Hoc principium statuit Cardinalis de Cusa velut *jus antiquum*, & ejus æquitatem aptâ admodum ac perspicuâ similitudine demonstrat. Si enim (*hoc est argumentum quod ipse à simili adducit*) si Episcopus bona temporalia suæ Ecclesiæ nec donare, nec alienare, nec permutare potest sine consensu & subscriptione sui Cleri, à fortiore Papa non potest inconsultis Cardinalibus movere quidquam in iis quæ spectant sanctas Canonum regulas, quæ sunt *inter* præcipuas *res Ecclesiæ.* Denique idem autor addit, *in gestis Gregorii Papæ VII. sic legi. Est privilegium Romanæ Sedis, semper assi-*

De Conc. Cath. lib. 2. cap. 11. p. 51.

stere per Cardinales Presbyteros & Diaconos ipsi summo Pontifici, vel Vicario ipsius Sedis, id est ei quem ipsa Sedes sacrosancta os ejus facit, per quem & cum quo prædicat, per quem Sacramenta administrat, per quem & cum quo firmanda confirmat, & improbanda improbat: QUA NON SUBSCRIBENTE, INVALIDA EST SUMMI PONTIFICIS SENTENTIA. *Hæc ibi. Ecce quomodo*, inquit Cardinalis de Cusa, id vehementer observandum innuens: *ecce quomodo ab antiquo irrita fuit Romani Pontificis sententia absque Cardinalium subscriptione, & quòd Papa Sedis Apostolicæ os tantùm fuit.*

Ut Decretum aliquod habeatur canonica Sedis Apostolicæ sanctio, conditiones habeat necesse est illius tam augusti nominis dignitati congruentes. Cardinalis *de Turre-Cremata*, quamvis à Cleri Gallicani doctrinâ dissentiat, Apostolicæ Sedis sanctionem declarat eam tantùm debere intelligi, *quæ maturo & gravi virorum sapientum, & maximè Dominorum Cardinalium primo concilio digesta & maturata sancitur & profertur:* Idemque inter Apostolicæ Sedis sanctiones recenseri vetat eas, *quæ occultè, malitiosè, aut inconsultè, per solum Romanum Pontificem, aut etiam per ipsum cum paucis sibi faventibus,*

Summa de Ecclesia l. 2. c. 112.

bus, aliis in fraudem contemptis, sive non vocatis ad partem, proferuntur.

Hæ voces ultimæ vivam & expressam temporum nostrorum imaginem heu! nimium veris coloribus adumbrant: cujus utinam, SANCTISSIME PATER, germanam cum Constitutione *Unigenitus* similitudinem sineret veritatis amor à nobis dissimulari! Est ille primus abusus, primúmque in formâ illius Decreti vitium. Palam contraventum est sanctissimis, & maximè inviolatis, Sedis Apostolicæ institutis ac legibus.

XIV. Manifesta abusus & obreptionis indicia, ex eo quòd author nunquam impetrare potuit ut in sua causa audiretur.

Non patitur nobilis iste candor probitatis & æquitatis, quem in sentiendo pariter & agendo præ se fert ubique VESTRA SANCTITAS, longiùs commorari nos in demonstrandâ eâ veritate, quam ipsa Religio longè altiùs infixit pectori tuo, quàm id possit unquam ulla vis verborum assequi, scilicet nefas esse quemquam indictâ causâ damnari.

Hanc haberi sacram & inviolatam legem apud sanctæ Sedis tribunal qui revocare in dubium velit, contendat idem oportet, SANCTISSIME PATER, Romanam Ecclesiam, cujus præcipua dos justitia & caritas, cedere vel ipsis sæculi Tribunalibus in observando ejusmodi officio, quod violari, nisi ex-

 tincto

tincto prorsus omni naturæ sensu, non potest.

Unum igitur superest, quod Bullæ fautores respondere possint, Decreto illo librum, non illius Autorem damnari. At cuinam id se persuasuros sperant? Nonne aperta res est? Quem non, si esset paulò æquior, Bullæ præfatio offendit? In eâ depingitur Moralium Considerationum Autor atrocissimis quibusque coloribus, adeò ut etiam inter filios Diaboli recenseatur. Et verò, retectis illius maximè arcanis sensibus, diabolica prorsus consilia illi attribuuntur. *Splendidâ* scilicet *pietatis imagine nequiter abutitur, ut prava dogmata latenter insinuet: Molliti sunt quidem sermones ejus super oleum, sed ipsi sunt jacula, & quidem* INTENTO ARCU ITA AD NOCENDUM PARATA, *ut sagittent in obscuro rectos corde.* Post exscriptas ejus propositiones, & inustam iis censuræ notam, iterùm Bulla in Autorem redit, verbisque expressis, quo nihil horribilius est, declarat *sacrum ipsum novi Testamenti textum, damnabiliter ob eo vitiatum, pluriésque in alienos, exoticos, ac sæpe noxios sensus,* NON SINE MAXIMA PERVERSIONE *detortum.*

An quis unquam scriptor talibus fuit verborum contumeliis laceratus? Esset

ille,

ille, qualem judices morte plectunt, sceleratus; Esset, ut Lutherus, hæreseon fabricator & parens: postulabant tamen divinæ pariter & humanæ leges, ut ante omnia citaretur. Quid non tentavit summus Pontifex Leo X. ut blandis paternæ caritatis *invitationibus* hunc Hæresiarcham in sinum Ecclesiæ matris revocaret? Hîc autor ipse festinat ire obviam, supplicat, obtestatur, urget, ad pedes Clementis XI. provolvitur: nec potest tamen aut nosse crimen, aut vitare censuram. Frustra se, suásque propositiones scriptis tuetur: frustra eas explicat, & ab omni labe defendit: frustra reclamat contra perniciosos errores, & scelerata etiam consilia, quæ ipsi malignus livor & inverecunda calumnia, contra veros animi sensus, affingit: frustra ante & post judicium nihil non tentat, ut secum j[illegible] agatur: Surdis loquitur. Hîc planè inverso rerum ordine, audire judex timet, dùm reus nihil aliud quàm audiri efflagitat. Denique ad extremum usque momentum suam tutatus innocentiam autor, in sinu Ecclesiæ Catholicæ expirat, postulans à Deo ut velint tantum modo, à quibus sua fama laceratur, causam ipsam cognoscere. Vellet-ne Ecclesia Romana tam abnorme judicium suo com-

probare calculo ? Id nec Roma Ethnica tulisset.

XV. Manifesta abusus & obreptionis indicia in propositionum expositione ad Clementem XI.

Undique, SANCTISSIME PATER, manifesta obreptionis signa prodeunt : sed ea maximè in ipsâ rei ad Clementem XI. expositione apparent. Probavimus autem in nostro Memoriali sufficere id ex ipsis, quas summi Pontifices constituerunt, regulis, ut Constitutio subrepticium Decretum habeatur.

Inno.III. Percelebre caput *super Litteras* de Rescriptis summorum Pontificum, docet nos haberi ea tanquam obrepticia & subrepticia oportere, quando *tacita veritas est, vel suggesta falsitas....* Hoc ibi generale principium statuitur : *Qui per fraudem, vel malitiam falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam, nullum ex illis litteris commodum consequantur, ita videlicet quòd Delegatus, postquam sibi super hoc facta fuerit fides, nullatenùs de causâ cognoscat. Eo lubentiùs*, SANCTISSIME PATER, verbis istis utimur, quòd ea SANCTITATI VESTRÆ quodammodo hæreditaria videri possint : sunt enim illius Pontificis, cujus ut nomen geris, sic etiam te animos ac sensus habiturum confidimus.

An autem fuit unquam, SANCTISSIME

SIME PATER, fraudulentior ulla expositio, quàm ea, quâ Constitutio *Unigenitus* nititur? Conversæ minùs fideliter è Gallico idiomate in latinum propositiones: Truncatæ aliæ: Exscriptæ plures infideli manu, & in alium detortæ sensum: Nulla usquam habita ratio mutationum quas fieri in hoc libro placuerat, ut consuleretur delicatæ Lectorum aliquot religioni, atque ipsa etiam, si fieri potest, adversariorum invidia sedaretur.

Nonne expositionis falsitas manifestè apparet in Prop. XVII. *Quicunque ad eum* (Christum) *non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii*, NULLATENUS *est doctus à Patre?* Cùm enim illa propositio apud P. Quesnellum, ubi sic habetur, *non est doctus à Patre*, omninò congruat cum sancti Augustini sententiâ, & cum ipsis Christi verbis quæ ibi explicantur, infidâ versione traducitur in alium prorsùs sensum: Ita ut eadem propositio, quæ in sensu P. Quesnelli, secundùm Scripturam & sanctos Patres, excludit tantùm illam docendi rationem, quâ cœlestis Pater loquitur ad cor illud victrici gratiâ efficiendo docile; ex mente Interpretis excludat alias omnes, quibus uti potest cœlestis Pater, docendi rationes.

De gr. Ch. c. 14 15. & de præd. S.S. c 8.

Apparet ejusdem expositionis falsitas

in Prop. XXII. *(a)* Si hanc in ipso textu, unde exscripta est, consideres, evidenter patet, non in ipsâ præcisè unione hypostaticâ ab autore poni concordiam gratiæ cum libero arbitrio, sed in unâ è præcipuis circumstantiis, quæ mysterium illud comitantur. Sensus enim verborum illius est, quemadmodum postulavit Deus consensum beatæ Virginis cùm impleret in eâ ineffabile mysterium Incarnationis, ita in operibus salutis postulare eundem ab hominis voluntate, ut suæ in eam operationi liberè consentiat, quamvis det ipse quod postulat, operando in nobis & velle, & ipsum perficere. Vellet-ne Ecclesia Romana eam doctrinam proscribere, quâ divinæ gratiæ jura cum humanæ libertatis potestate tam perfectè concilientur?

Adhuc manifestiùs apparet ista falsitas in Propositione centesima. Continet illa considerationem in hæc Evangelii verba : *Absque Synagogis facient vos : sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbi-*

(*a*) Prop. XXII. L'accord de l'operation toute-puissante de Dieu dans le cœur de l'homme, avec le libre consentement de sa volonté, nous est montré d'abord dans l'Incarnation, comme dans la source & le modele de toutes les autres opérations de misericorde & de grace, toutes aussi gratuites, & aussi dépendantes de Dieu, que cette opération originale.

bitretur obsequium se præstare Deo. Tempus deplorabile, inquit P. Quesnellus, *quo creditur honorari Deus, persequendo Veritatem, ejusque Discipulos.* TEMPUS HOC ADVENIT. Propositionum Exscriptor hîc hæret: at Pater Quesnellus adjecerat, *nec nisi cum ipso mundo desinet. Non debet etiam nisi cum vitâ desinere patientia. Speramus semper humiliandam esse impietatem, triumphaturam verò innocentiam: fallimur.* TEMPUS TOTO SUO TRACTU EST HORA MUNDI: *hora Christianorum est æternitas.* Supprimuntur omnia hæc verba, ut conflетur propositio ex iis tantùm verbis quæ prima retulimus, & ex his posterioribus: *Haberi & tractari à Religionis Ministris tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior.* Quàm injusta & atrox videri debet, SANCTISSIME PATER, ista agendi ratio! Ut excitetur invidia contra autorem, & in eum Potestates armentur, perfidiosè truncantur verba illius, & ad nostram ætatem restringitur *tempus* illud, quod ex mente autoris, & in ipsos Evangelii textu, venisse jam intelligitur ab ipso Apostolorum seculo, *nec nisi cum mundo desinet.* Si non inest huic

expositioni falsitas, ubinam poterit ulla reperiri? Hâc tamen falsitatum plenâ expositione tanquam fundamento Bulla nititur. Complures nos alias illius expositionis falsitates recensere possemus, nisi timeremus, producendo longiùs epistolam, SANCTITATIS VESTRÆ patientiâ abuti.

Si ergo, ex ipsis Romanæ Ecclesiæ præscriptis, Decretum omne nixum ejusmodi expositione ubi expressa falsitas est, & suppressa veritas, obrepticium & subrepticium videri oportet, ita ut nullam illius rationem habere debeat Delegatus; *ubi de facto constat:* An vellet SANCTITAS VESTRA, cùm nunc luce clariùs pateat expositionem, quâ Bulla nititur, tot & tam manifestis scatere falsitatibus, talis Decreti auctoritatem contra sanctissimas Sedis Apostolicæ leges tueri?

XVI. Plura alia abusus, nullitatis, & obreptionis indicia, in ea ratione, qua actum est Romæ cum Episcopis, & Facultatibus Theolo-

Omnem vitandi fraudem expedita ratio erat, si statim disceptata fuisset causa in eo loco, ubi nata est: An nostrates Episcopi, peritiores certè Gallici idiomatis, quàm esse possint aliquot Censores Romani, vitiatam judicassent, exempli gratiâ, versione P. Quesnelli *sacris textûs* veritatem in his locis: *Pouvez-vous boire le Calice que je* DOIS *boire?* (Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum? (a) *Je vous dis en verité que l'un de vous me*

(a) Matt. 20. 22.

me DOIT *trahir*. Amen dico vobis quia unus veſtrûm me traditurus eſt: (*b*) Hæc tamen juſſu Clementis XI. & cum approbatione Conſultorum affert exempla P. Fontanius, vitiati falsâ verſione textûs ſacri: quaſi hæc verba gallica, JE DOIS: ME DOIT: fatalem in Chriſto *neceſſitatem* inducerent, *vergerentque ad errorem Calvini facientis Deum autorem proditionis*: Satis-ne intelligunt quâ dedecoris maculâ aſpergant ſanctæ Sedis gloriam, qui tueri utcumque volunt iſtiusmodi Decretum, quod tam falsâ & tam ridiculâ expoſitione nititur? Quale enim judicium de illo ferre poſſunt quicumque vel prima linguæ gallicæ elementa norunt?

giæ; inque variis decretis, brevibus & Litteris Clementis XI.

(*b*) c. 26. 21.

Prolegom. p. 91.

Cur non in tanti momenti negotio ſervatus *ordo* ille eſt, quem Deceſſores tui præſcripſerunt ſuper examine cauſarum eccleſiaſticarum? Si habitus fuiſſet in ipsâ Galliâ cœtus canonicus, locus non fuiſſet aut perverſæ verſioni, aut fraudulentæ vocum aliquot mutationi, aut parum accuratæ in ipſis exſcribendis fidei. Facilè dignoſci potuiſſet, & quis verus erat ſenſus libri illius qui in manibus omnium verſabatur; & quem fructum illius lectio per tot annos attulerat; & quâ mente, quo conſilio illius cenſura tam vehementer efflagitabatur. Quantò autem

S. Leon. Ep. 88.

præstantiùs eminet Sedis Apostolicæ celsitudo & autoritas supra unamquamque singulatim reliquarum Ecclesiarum, cùm judicata res primùm in ipsis locis, sanctæ Sedis postea suffragio comprobatur ?

At de illâ re nec judicari in Galliâ ab Episcopis placuit, nec ullo in ipsis locis prævio examine inquiri. Et verò quænam in illius disceptatione negotii habita est ratio Episcoporum ? Cùm eos, ut sunt, Fratrum loco summi Pontifices (*a*) antiquitùs haberent, eorum honori, ut suo, consulebant. At ex quo prodiit in lucem Constitutio, quid non tentatum ut eorum prorsus vilesceret dignitas? Nunquam inustæ Episcopali nomini tales ignominiæ & dedecoris notæ. Ne vel quidem ut audirentur impetrare Episcopi potuerunt in ejusmodi causâ, in quâ tui Decessores eos invitant ultro ut ad sanctam Sedem confugiant.

Habet-ne ergo plus autoritatis Constitutio *Unigenitus*, quàm dogmatica Tridentinæ Synodi judicia ? Offert tamen ultro illa Synodus, si qua difficultas super decretis suis oborta fuerit, necessariam ad id *declarationem*, hortatúrque Romanum Pontificem ut ad id, si opus fuerit, Generale etiam Concilium con-

Sess. 25. c. ult.

vo-

(*a*) Meus honor est Fratrum solidus vigor. *S. Greg. lib. 8. Epist. 30. ad Eulog. Alex.*

vocet. An illud vel hæreticis, si id postularent, denegaretur? Utinam vellent illi tandem audire vocem Ecclesiæ, ut ad id eos *invitat* Tridentina Synodus! Brevi doctrinæ illius splendor, veritatisque lux, animos eorum pervaderet: brevi salubrem & amicam vocem Pastorum discernerent à dolosis incantationibus alienorum, qui omni mendaciorum genere ipsos in fraudem impulerunt. Quàm nunc mutata rerum facies, SANCTISSIME PATER! Denegatur id Episcopis, quod sponte ipsis offert hæreticis Ecclesia. Intererat fabricatorum Bullæ sic agi: & eorum studiis toto hoc in negotio obtemperatum est. Suæ sibi conscia infirmitatis novitas lucem timet, neque aliud potest habere perfugium subrepticii Decreti fraus, quàm si indicem suæ falsitatis qualemcumque vocem omni prorsus ratione opprimat.

Non tamen victa his prioribus repulsis Episcoporum patientia est. In eâ constanter pluribus annis perseveraverunt. Non destiterunt idem à supremo Pontifice iterum vehementissimis precibus efflagitare. Accessit etiam eorum postulationi regia autoritas. At & Regis legato, & Episcoporum voci occlusus omnis semper fuit ad Pontificem aditus. An simile quid unquam antehac contigit? Qualem

lem oportet esse Bullam *Unigenitus*, quæ non potest nisi tali defendi viâ?

Ultrà processum est, SANCTISSIME PATER: nec possumus dissimulare SANCTITATI VESTRÆ tam impune violatas hoc in negotio divinas pariter & humanas leges. Nemo damnatus unquam apud ullum tribunal reus, nisi citatus antè ad dicendam causam fuerit: hîc sola, etiam Episcoporum, ut audirentur, postulatio, damnationis ansam tribuit. Vetat Christus distringi excommunicationis gladium, nisi in eos qui audire Ecclesiam recusaverint: districxit hunc Clemens XI. in ipsos etiam Episcopos, quia in Ecclesiæ matris sinum confugerunt.

Non sinunt breviores Epistolæ limites, singulatim à nobis SANCTITATI VESTRÆ exponi quot vitiis & nullitatibus scateant tot Decreta, Brevia, Epistolæ, quæ aliæ aliis in hoc negotio successerunt; in quibus primùm reprobatur postulatio Episcoporum, deinde in eos nulla non ingeruntur convicia, denique separantur à caritate sanctæ Sedis non solùm ii qui ad Concilium Generale appellarant, adversus quos non sinebat ipsa eorum appellatio quidquam pronuntiari; sed illi etiam qui Explicationes tantùm ab eo postulabant.

Cùm

Cùm longè nobis acutiùs pervideat SANCTITAS VESTRA, quæ ad veram sanctæ Sedis gloriam pertinent, facilè intelligit quàm parum idonea forent judicia ejusmodi, si non obrepticia declararentur, ad reducendas in centrum ecclesiasticæ unitatis Societates, quas ab eâ divulsit error; ad nutriendum in Fidelium animis sanctum illum quo piè nunc flagrant ardorem confugiendi ad primam Ecclesiæ Sedem; ad tuendam denique, & magis in dies augendam sanctæ Sedis reverentiam.

Sic contumeliosè habitis à Romano Pontifice Episcopis, expectandum non erat ut mitiùs ageretur cum Doctoribus. Princeps & illustrissima omnium orbis christiani Facultatum, unde à tot seculis prodierunt clarissimi quique Theologiæ Magistri; percelebris illa Parisiensis Schola, quam hactenus supremi Pontifices summis certatim laudibus cumularant, sub Clementis XI. Pontificatu cœpta inauditis modis vexari. Fatendum est adversantis Constitutioni *Unigenitus* Facultatis Theologiæ Parisiensis nomen per omnes personuisse terras, ejúsque sententiam gravissimum fuisse contra Bullam præjudicium: at licebat-ne adversùs illam æquitatis leges, quas ipsa præscribit natura, violare? Censuerat Facultas illa delendum

esse

esse è suis commentariis Bullæ favens Decretum, quod in eos per vim & falsitatem intrusum fuerat. Hoc uno nomine Sorbonicos Doctores Clemens XI. probris afficit *ut homines reprobos, inquietos, turbulentos, ut filios delirantes, filios desertores*: Eorum *privilegia* suspendit: vetat quemquam ad Doctoratus gradum evehi: idque non citatis Doctoribus, non auditis iis, non actâ ex legibus ullâ inquisitione ad explorandam rei veritatem, quæ meliùs Sorbonæ, quàm Romæ nota esse debuit, si quidem sub oculis Doctorum, in eorum comitiis, ipsis illorum suffragiis transacta est.

Breve datum 18. nov. 1716.

At tot deplorandarum injuriarum, SANCTISSIME PATER, adhuc magis deploranda origo & causa est. Novit totus Orbis quàm non obscuro partium studio ductus Clemens XI. apertè faverit novæ doctrinæ, & laxioris morum disciplinæ defensoribus: diuturnumque Ecclesiæ dolorem reliquisset illius Pontificis regimen; quem ipsum regebat præpotens Societas, unde nunquam animo divelli potuit; nisi promptum & præsens sanandis tot vulneribus remedium allatura esset acri veritatis studio succensa pietas & prudentia illius Pontificis, quem divina Providentia bonorum omnium votis concessit.

Quanto totius Ecclesiæ scandalo, SANCTIS-

TISSIME PATER, (& id dolenter magis, quàm contumeliosè referimus) quanto totius Ecclesiæ scandalo contigit, ut quicunque tuendæ veteris doctrinæ studium aliquod præ se ferret, sub ultimo Pontificatu acerbissimè vexatus fuerit, dum qui monstrosissimas opiniones, atque etiam idololatriæ praxes palam tuebantur, honore & gratiâ florerent; ut tot SS. Patrum propositiones anathemate perculsæ fuerint, dum illæsa steterunt pravorum Casuistarum atrocissima quæque dogmata; ut compluris ad tuendam veritatem compositis operibus inusta fuerit contumeliosa censuræ nota, dum tot scripta pestifero novitatis veneno infecta, aut tacito permissu liberrimè venierunt, aut etiam publico Clementis XI. jussu typis impressa, & in lucem edita prodierunt.

Tacere non possumus, præter alias horrendas adeo qualificationes, inustam *hæreseos* notam ejusmodi Instrumento, quod nihil, nisi constantissima fidei & morum dogmata continet, quod quidem nos ad utrorumque defensionem conjunctim cum Theologicâ Facultate Parisiensi confecimus. Secuti SS. Patrum regulam, scripto denunciandum esse duximus Romanis Censoribus, ut expressè declararent in quo sita esset illa hæresis. At silentio illi suo, ut prodiderunt suam respondendi inopiam, Acte d'Appel du 1. Mars. 1717.

sic

sic majorem ab eorum consiliis timendi causam nobis præbuerunt.

Cathechisme de Montpellier mis à l'Index par un Decret du 1. Fevr. 1721.

En etiam, SANCTISSIME PATER, quod lugendum ipsi Clementi non minùs quàm nobis est, damnatum audimus Catechismum Montispessulensis Ecclesiæ, de quo id unum dicemus, acerbissimum dolorem bonis omnibus afferre scandalosam ejusmodi damnationem, quæ ceteris omnibus cumulum adjiciens, hoc velut extremo actu Clementis XI. Pontificatum concludit.

XVII. Agendi ratio Episcoporum appellantium, comparata cum ea agendi ratione, quæ erga illos adhibita est: item cum ea qua usi sunt acceptantes Galliæ Episcopi. In eo conveniunt utrique, quod capitalia in Constitutione vitia reperiunt.

In hoc tam luctuoso statu rerum, conati sumus Episcopalem constantiam condire leni temperamento christianæ caritatis & prudentiæ. Tentârunt divellere nos à communione Sanctæ Sedis: firmiùs inde & constantiùs unitatis ecclesiasticæ centro ipsi nos adjunximus. Maledicta & probra in nos injecerunt; nihil nisi verba pacis & lenitatis reposuimus. Excitata in nos temporalium Potestatum ira & indignatio; non desiimus commissis fidei nostræ populis magis ac magis in dies debitæ secundum sanctos canones Romano Pontifici reverentiæ sensus inspirare.

Nunquam nobis venit in mentem posse ejusmodi negotium, ad omnem prorsus ecclesiam pertinens, nostrâ autoritate componi: Imò nequidem ab aliquot separatim Episcopis tam urgenti malo re-

me-

medium efficax afferri posse existimavimus. Sed postquam frustra tentavimus offusas animo Clementis XI. nebulas discutere, eam demùm amplexi, quam ipse Christus in Evangelio monstrat, viam, postulamus ut illam controversiam Ecclesia dijudicet.

Diversum iter secuti sunt complures Galliæ Episcopi; at licet alii Decretum illud, adjunctis ei suis Explicationibus suscipiant, alii ab eodem ad Generale Concilium appellent, disjuncti maximè à se invicem tam diversâ agendi ratione, penitúsque diffidentes, in hoc tamen mirificè congruunt, quòd omnes vitia Constitutionis aperiant. Quòd si, pro suâ ingenii sagacitate & prudentiâ, rimari velit SANCTITAS VESTRA, & diligentiùs explorare verum hujus controversiæ statum, facilè procul dubio intelliget, nedum communibus sit apud nos omnium suffragiis Decretum illud acceptum, ut falsò defensores Bullæ jactitant, ei revera Ecclesiam Galliæ penè universam contradicere.

Cùm verbi gratia, accepturi censuram illius propositionis, LECTIO SCRIPTURÆ SACRÆ EST PRO OMNIBUS, Episcopi docent *illam à Spiritu sancto in ipsis sacris libris commendari, in id semper sanctos Patres incubuisse, ut lectionis illius gustum*

Prop. LXXX.

Explications sur la Bulle pag. 46. & 47.

stum & studium apud Fideles excitarent; custodem & interpretem scripturarum Ecclesiam longè ab hoc consilio abesse, ut occultum hodie velit suis filiis cœlestem hunc Thesaurum: nunquam hanc passuram ut studio & ardore legendi sacros codices separatis à se Societatibus inferior videri possit: evidenter patet statui ab illis Episcopis doctrinam Quesnellianæ propositioni prorsus congruentem, atque adeò censuræ ejusdem *planè* contrariam.

Prop. LXXXVI. Cùm iidem accepturi censuram illius propositionis, ERIPERE SIMPLICI POPULO, HOC SOLATIUM, JUNGENDI VOCEM SUAM VOCI TOTIUS ECCLESIÆ, EST USUS CONTRARIUS PRAXI APOSTOLICÆ, ET INTENTIONI DEI, defendunt *ac probant multis sanctorum utriúsque Ecclesiæ Doctorum testimoniis, à primis usque temporibus solitum in ipsâ etiam Liturgiæ celebratione populum jungere vocem suam voci totius Cleri, ut id etiamnum hodie factitat, sive sacerdotibus respondens, sive cum iisdem cantitans, in eâ parte Missæ quæ cani solet, semperque probatum iri ab Ecclesiâ praxim tam antiquam, tam sanctam, tam legitimam, cujus institutio ipsis videtur Apostolis coæva:* manifestum est ipsam expressis verbis P. Quesnelli propositionem ab iis defendi, at-

atque adeò illius censuram ab iisdem apertè improbari.

Cùm item ad suscribendum damnationi illius propositionis, ECCLESIA AUTORITATEM EXCOMMUNICANDI HABET, UT EAM EXERCEAT PER PRIMOS PASTORES, DE CONSENSU SALTEM PRÆSUMPTO TOTIUS CORPORIS, iidem Præsules agnoscunt *autoritatem excommunicandi partem esse potestatis Clavium, quam Christus Apostolis immediatè tradidit, in eorúmque personâ successoribus eorumdem Episcopis*, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei; *dici tamen posse secundum usitatum sermonem Patrum Ecclesiæ, potestatem Clavium datam esse Ecclesiæ & unitati:* Præsules illi per totum Orbem christianum quasi tubâ concinunt, damnari à Bulla *usitatum sermonem Patrum*

Prop. xc.

Ibid. p 49.

Instructio Pastoralis anno 1714. publicata, declarat hâc propositione EXCOMMUNICATIONIS INJUSTÆ METUS NUNQUAM DEBET NOS IMPEDIRE AB IMPLENDO OFFICIO NOSTRO *contineri veritatem, cui omninò contradici non potest, si constet excommunicationem esse injustam, sitque officium illud verum: eandem verò propositionem falsam esse, si excommunicatio non sit injusta nisi in mente illius qui excommunicatus est, sitque officium illud falsum.* Non est quod probare nitamur

Prc pi xci.

SANC-

SANCTITATI VESTRÆ *falsum officium*; non esse *officium*; & *excommunicationem injustam tantùm in mente excommunicati*, non esse *injustam excommunicationem*. Ita, secundùm illos Præsules, non est falsa propositio, nisi cùm illi per vim sensus affingitur ab illius verbis plane discrepans; atque adeò injustè damnatur ejusmodi Bullâ, quæ in illius damnatione sequitur *ipsum tenorem verborum*.

Uno verbo, ne longiùs recensendis pluribus exemplis immoremur, damnat Bulla propositiones in sensu obvio, claro, naturali. Si enim Bullæ, si Brevibus, si Litteris Clementis XI. creditur, *res* ita *distinctè & apertè in* Constitutione *explicatæ sunt, ita denudatæ, & quasi in propatulo positæ, ut declaratione non egeant, omnesque tandem apertæ jam, manifestaque veritati cedere cogantur, nec declarationes in rebus apud ceteros omnes planè perspicuis postulari possint, nisi ab iis, qui pertinaciter recusant videre solem lucidissimæ veritatis, & quasi in nocte, sic in meridie palpare* decreverunt. Illi tamen Præsules non solùm persuasum habent declarationum subsidio & ope indigere necessariò Bullam, sed ipsi ad accipiendam eam declarationes adhibent tam dissitas à vero, tam ab ipso verborum tenore dissentientes, tam per vim in alienum sensum detortas, tam à com-

communi sermonis usû planè abhorrentes, nihil ut minùs in iis quàm sensus ille obvius, clarus, naturalis appareat.

Quid ampliùs desiderari potest ad probandum evidenter adversis frontibus pugnare secum invicem hinc Bullam Clementis XI. inde acceptantium Episcoporum Explicationes? An ut declarent illi Præsules attributos à se Constitutioni sensus esse *coactos & alienos*? An ut agnoscant *inter unam & centum propositiones esse quasdam quæ expressis verbis apud SS. Patres legantur; esse quasdam veras in suo proprio & naturali sensu, & locutionum formulis admodum accuratas*? An ut apertè fateantur *super multis propositionibus, quæ ad utrumque Fœdus, ad Amorem Dei, ad Pœnitentiam*, aliasque materias *pertinent, ab iis Episcoporum, qui Bullam relativè acceperunt, derelictam esse ipsius Bullæ litteram*? An ut ipsi nos admoneant *satis esse Episcoporum commentarium cum ipso textu comparari, ut intelligatur non idem, sed longè dispar judicium de damnatis propositionibus fuisse ab Episcopis & supremo Pontifice pronuntiatum*? An denique ut progressi ulteriùs significent vanam sibi spem videri, quam Acceptantes præ se ferrent, fore ut eorum Explicationes *ratas haberet summus Pontifex*? Hæc omnia apertiùs eorum causæ nocent, quàm ut sperari possit ipsos

I. Inst. du C. de Noail. p. 95.

Ibid. p. 102.

Ibid. p. 99.

Ibid.

sos illa ore proprio sponte confessuros. Confessi sunt tamen, SANCTISSIME PATER, ita procul dubio ordinante divinâ Providentiâ, ut Explicationum & Bullæ ipsius inter se invicem dissidium & discordia clariùs eminerent, nec possent ullis subtilitatum argutiis obscurari.

Ideò quidem existimarunt illi Præsules licere sibi *adventitios & per vim adductos sensus Constitutioni affingere, ut illius honor sartus tectus servaretur.* At, SANCTISSIME PATER, an inde fit multò Bulla honoratior, cujus honori non potest nisi tali viâ consuli? Nonne expeditius erat, & ad servandum fidei depositum tutius, Episcopalisque simplicitatis, & ecclesiasticæ disciplinæ regulis multò magis congruum, Decretum illud, quale est per se ipsum, tale revera haberi, hoc est plane obrepticium, multísque nullitatum vitiis refertum, atque adeò omni ratione licitâ conniti ne illud in Ecclesiâ prævaleret?

Ibid. p. 202.

Frustra acerrimi Bullæ defensores, ac privatim illustrissimus Suessionensis Episcopus omnem argutissimarum subtilitatum vim adhibent, ut, contra manifestam rei veritatem, puræ & simplici acceptationi fidem aliquam & autoritatem astruant, ideóque eos Episcoporum, qui appositis à se Explicationibus Bullam

Second Avertiss. p. 38.

restringi

restringi aut modificari putant, consentiunt non censeri suos. *Quî potest*, inquit Eminentissimus Cardinalis Noallius eos refellens, *tale factum affirmari eo ipso tempore, quo trignita Episcopi ex iis, à quibus acceptata est Constitutio, apertè declarant... non fuisse eam à se acceptam nisi relativè ad Instructionem Pastoralem? Quî Constitutionem non accipit, nisi certo quodam sensu definito & designato, nonne is Constitutioni limites & modum ascribit? Si sensus ille à perspecto sensu & animo supremi Pontificis prorsus dissideat, nonne tunc, non modo restringitur, sed etiam quodammodo reprobatur Constitutio, in iis saltem capitibus, ubi à Romanæ Curiæ principiis disceditur?* 1. Instr. p. 101.

Talem fuisse illam acceptationem, id quod nemini non aliunde manifestum est si bonâ fide cum Explicationibus Bulla comparetur, rursùs demonstratum est, & circulari epistolâ Eminentissimi Cardinalis Noallii ad Pastores suæ diæceseos, & iis omnibus argumentis, quibus ille Præsul luce clariùs ostendit acceptationes illas esse *limitativas & restrictivas.* Ibid. p. 101.

Quod igitur Suessionensis Episcopus affirmat *injuriosam supremo Pontifici* futuram fuisse ejusmodi acceptationem, viderit an non sit ipse in eorum numero recensendus, qui illatæ summo Pontifici illius injuriæ habentur rei. At nos ex Lettre 4. pag. 145.

 ipsis

ipsis Acceptantium Episcoporum inter se collatis verbis certò & asseveranter concludimus, rationem eam, quâ Decretum acceperunt, esse Decessori vestro, ex ipsorum principiis, *injuriosam*.

XVIII. Eadem Episcoporum inter se comparatio rursum instituitur, ratione illius pacis, quam inito recens pacto conciliari placebat. Quantùm justæ spei sufficere debeit solers & perspicax Innocentii XIII. prudentia.

Quod spectat ad Appellantes, eadem in Decreto, quæ ceteri, vitia reprehendunt: at sic existimant, abhorrens esse pariter & ab Evangelii simplicitate, & à majestate fidei, ut id à se acceptum profiteantur, quod revera respuunt. Illi, missis ambagibus, Constitutioni adversando, simpliciter se, nec ideò minùs reverenter gerunt, eò addictiores sanctæ Sedi, quò Bullæ infensiores. Adhibere in agendo conantur temperatam mansuetudine firmitatem. Non potuere hactenùs aut metuendâ adversariorum potentiâ debilitari; aut ullo carcerum, exiliorum, interdictionum terrore frangi; aut imperiosis ac minacibus jussis ad silentium adigi; aut acerbâ tot malorum, quæ ipsi Bullæ coæva sunt, diuturnitate superari. Unius Dei memores, violentis hominum conatibus vim invictam veritatis, simulationi & artificio ingenuum apertæ sinceritatis candorem, versutis humanæ prudentiæ consiliis cœlestem fidei sapientiam, atrocissimis quibusque calumniis & durissimis vexationibus testimonium conscientiæ puræ, & pati pro

Christo

Christo quidlibet paratæ, constanter opponunt. Hæc enim sunt arma, SANCTISSIME PATER, quæ ad defensionem Bullæ adhibentur, vis, dolus, mendacium; tali scilicet causæ benè congrua, sed quibus defendi se veritas erubesceret.

Longè major est numerus eorum, qui sic veritati se suaque omnia consecrarunt, quàm vulgò Bullæ fautores opinantur ac dictitant. Id per se ipsa æstimabit SANCTITAS VESTRA, inspectione Actorum, quæ cum illâ communicabimus, si id ipsi videbitur. Non venere omnia in manus nostras, at facilè poterit SANCTITAS VESTRA ex iis, quæ tribus amplis collecta voluminibus apud nos asservantur, quanta sit Appellantium multitudo judicare: quam ipsam longè superat incredibilis numerus eorum, qui eadem non obscurè & furtim, sed palam & apertè sentientes, nondum rentur sibi venisse tempus in medium quæ sentiunt publicis instrumentis proferendi.

Non ignorat SANCTITAS VESTRA, quid sit eis patiendum, qui postquam adversùs tot & tam gravia Bullæ vitia reclamarunt, iidem nunc etiam adversus initi recèns pacti vitia constanter reclamant. Censuerunt illi silentium, quod semper veritati, ubi ab hostibus impu-

 gnatur,

gnatur, exitiosum est, eidem nunc longè majorem importare perniciem, cùm finis ille sit imperati silentii, ut sopitis omninò controversiarum dissidiis, victrix inde Bulla emergere videatur. Interim inflicta iis repetito ictu vulnera, eorum ut numerum, sic animos augent, ipsisque, & causæ quam tuentur, publicum favorem conciliant. Non iis longiùs describendis immorabimur. Quædam aliquando tempora incurrunt, ubi res ipsæ quàm verba meliùs loquuntur.

Et verò quis par sit, SANCTISSIME PATER, describendis tot tamque acerbis calamitatibus luctuosæ pacis, quæ ipsius veritatis & sanctarum regularum
S. Hilar. De Syn. n. 4. dispendio sancita est? *Ex eo majoribus perturbationibus vexari Ecclesia cœpta est, ut exulent Episcopi, demutentur Sacerdotes, plebes terreantur, fides periclitetur, humano arbitrio ac potestate doctrinæ dominicæ decreta statuantur. Hoc fides illæsa neque nescire se simulat, neque pati posse profitetur, non se extra conscientiæ crimen futuram intelligens ex ipso dissimulationis assensu.*

Quàm luctuosum offert spectaculum tumultus iste & dissensio! Qui acceptant Bullam, immanè quantùm alii ab aliis discrepant. Pugnant inter se invicem & variis quas protulerunt explicationibus, & variâ ipsarum interpretatione ex-

explicationum, quas propter ambiguitatem in diversos sensus trahunt, & variâ atque etiam contrariâ ratione eas cum Bullâ conjungendi. Eorum ipsa per se destruuntur ac ruunt principia. In singulis à se ipsi dissident secumque discordant. Plerique ipsorum iis se in speciem adjungunt, quos habent in doctrinâ maximè adversarios : iidemque adversantur iis, quos habent sibi revera conjunctiores. *Confusa omnia & turbida: Non secùs atque in nocturnâ pugnâ, obscurisque Lunæ radiis, hostium & amicorum omne discrimen perit : vel sicut in navali conflictu & tempestate, ingruentibus ventis, stridente salo, violento impetu fluctuum, collisis inter se navibus, fractisque mutuo impulsu remis, inter personantes undique nautarum clamores, variosque gemitus cadentium, nullus jam datur nec consilio, nec virtuti locus : ita nos (ô acerbum spectaculum!) alii in alios incidimus, mutuisque invicem vulneribus conficimur.... Atque utinam ex eorum numero simus, qui* tam fortiter *pro veritate, pro supremis & primariis quæstionibus dimicant, atque in offensiones & odia hominum incurrunt! In hoc certè numero esse nos gloriabimur. Meliùs est enim laudabile bellum, quàm* falsa *pax, quæ à Deo subjungat... Interim in hoc sævientium bellorum æstu; quis Moyses extensis* S. Greg. Naz. Orat. 1. p. 34.

suprà montem in crucis formam manibus victoriam è cœlo accerset? Quis Josue sub illo duce & imperatore dimicans dominicas acies reget?... Aut potiùs quis Noë, quis Jacob, quis Daniel pro nobis orabit, ut bellum hoc nobis paulùm conquiescat, ut ad nos ipsos redeamus, ut alii alios tandem agnoscamus? Tu eris ille vir, SANCTISSIME PATER: id enim confidenter à divinâ Providentiâ speramus, fore ut SANCTITAS VESTRA, suarùm precum assiduitate, consiliorum prudentiâ, caritatis sollicitudine, finem omnibus his-ce motibus ac discordiis tandem aliquando imponat.

XIX. Variæ hujus negotii finiendi viæ quæ proponi poterunt summo Pontifici, comparantur cum ea quam ipsi ultro offert providentia.

Oppugnatæ à tot hostibus religionis causam SANCTITAS VESTRA suscipiat, nec recuset Ecclesiam in tam acerbâ calamitate consolari, declarando solemniter abusus, nullitates, & vitia ejus Constitutionis, quâ Patrum omnium locutiones, ac perpetua Ecclesiæ Romanæ traditio damnantur.

Non est opus ad id vehementioribus precibus urgeri SANCTITATEM VESTRAM. Ultro ipsa properabit votis nostris ire obviam, satis per se intelligens quid in tam gravi negotio ab illâ postulet sanctæ Sedis gloria, veritatis in extremum discrimen adductæ salus, totiusque Ecclesiæ tranquillitas. Judicabis

cabis facilè, SANCTISSIME PATER, utrum sit ad Romanæ curiæ gloriam accommodatius, an ut illa omnino velit in perpetuum stare ejusmodi Decretum, quod tam manifestè & fidei dogmatibus, & morum regulis adversatur; cujus intoleranda vitia multis nec quicquam simulationum involucris & quasi velis quibusdam obtenta, palam in lucem erumpunt; quod acceptantes Episcopi eâ ratione admittunt, quæ, secundùm eorum principia, silentio ipso longè *contumeliosior* est summo Pontifici; à quo celeberrimi Ordines, pietatisque & doctrinæ famâ spectatissimi viri appellationem instituerunt ad Generale Concilium, in quâ invicto animi robore perseverant: an verò ut congruenter regulis Innocentii III. clarissimi Papæ gentilis tui, congruenter usui perpetuæ Ecclesiæ, constantissimisque sanctæ Sedis institutis, palàm declaret, Decretum illud esse obrepticium, & sanctissimas Ecclesiæ Romanæ leges ab eo multis capitibus violari.

Docent nos sacra Ecclesiasticæ Traditionis monumenta, ipsi sanctæ Sedi nihil interdum opportunius, nec magis necessarium visum esse, quàm si lata à nonnullis Romanis Pontificibus Decreta quædam infirmaret, atque etiam eorum,

qui in temerè suscepto à se consilio ad obitum usque perseverassent, memoriam ignominiâ notaret: *Decus nostrum*, inquiebat olim Clerus Romanus, *in hoc positum est, ut antiqua apud nos severitas, antiqua fides, antiqua disciplina servetur. Quarum laudum & gloriæ degenerem fuisse maximum esset crimen.* Hanc certè maculam, SANCTISSIME PATER, sanctæ Sedis gloriæ aspergeret tam infausta Constitutio.

Epist. ad S. Cypr.

Stare illam diutius, & relinqui res in eo statu, in quo nunc sunt, hoc est, veritatem in extremo periculo, & Ecclesiam in summâ confusione: an hoc posset utriusque sic amans SANCTITAS VESTRA perpeti?

Imperare utrique parti silentium, & quasdam belli velut inducias præscribere novi examinis prætextu, aut alio quolibet; præterquàm quòd id consilii parum habet dignitatis & multum periculi, docere nos debuit præteriti experientia, nihil aliud ejusmodi induciis, nisi vehementiorem excitatam discordiæ flammam. Aliunde mutum & otiosum manere, dum impugnatur veritas, scelus est. Sic denique redundans ex hoc Clementis XI. Decreto labes æterna fieret, & in omnem consequentis temporis perpetuitatem propagaretur.

Pro-

Proponetur absque dubio SANCTITATI VESTRÆ Explicationum via, ita ut vel editas jam in lucem ab acceptantibus Episcopis SANCTITAS VESTRA comprobet, vel ipsa proponat novas.

Non possumus nobis inducere in animum fieri posse, ut SANCTITAS VESTRA ex his duabus viis sequatur priorem. Haud ignoras, SANCTISSIME PATER, quàm multis, & quàm gravibus hoc opus laborare vitiis demonstratum sit; quid de illo cordatissimi quique & doctissimi viri judicarint; quàm vehementer sit ei ab omnibus regni partibus reclamatum; quàm apud singulos ordines plurimis fixum obstinatumque nunquam illud quocumque tandem modo accipere.

Ad has, quæ ex ipsâ re nascuntur, insuperabiles difficultates, accedunt ex judicandi formâ, & consequentibus inde periculis, non leviores aliæ, ad quas haud satis attendisse animum videntur acceptantes Episcopi. Hâc viâ scilicet in Ecclesiam inducitur Patribus nostris ignota methodus, cujus adminiculo poterunt in posterum sanctissima Decreta eludi, purissimæ locutiones damnari, ipsius Scripturæ & Traditionis sermo proscribi, & contraria inter se duo, quorum alterum ait, alterum negat, vi-

cissim pariter, prout id varia partium studia exigent, censurâ notari. Quid enim non poterit aut rejici aut recipi, si semel invaluerit licentia affingendi verbis pro nutu & arbitrio sensus alienos & coactos? Huic autem tam periculosæ methodo locum & autoritatem darent comprobatæ (quod absit) à sanctâ Sede ejusmodi Explicationes.

At nonne huic pariter locum daret SANCTITAS VESTRA, si ipso suo nomine novas Explicationes promulgaret? Quo magis Explicationes illæ cum perpetuâ Ecclesiæ doctrinâ congruent, eò validiùs doctrinam Constitutionis impugnabunt. Ejusmodi autem Explicationibus, præterquàm quòd manifestè contradiceretur Clementi XI. qui ipse expressis verbis hanc rejecit viam, nonne eodem tempore & clara jam nimiùm Bullæ vitia majori adhuc in luce collocantur, & hæc ipsa tamen tot scatens vitiis Bulla pro canonico sanctæ Sedis judicio, & fidei regulâ palàm proponitur? An patitur simplicitas Evangelii, & Religionis integritas, ut in eâdem professione fidei, Est & Non, lux & tenebræ, veritas & error copulentur?

Duæ-ne super doctrinâ definitiones diversæ à se invicem & pugnantes, qua-

rum

rum ſimul in Eccleſiâ vigentium par eſſet in ſpeciem pondus, par autoritas, valerent ad id, ut animi in unum coaleſcerent, & ſtabilis demùm ac vera pax reſtitueretur? At aliundè, ſi hæc ſemel alieno ſenſu quaſcunque res interpretandi licentia invaleſcat, nonne ſic patebit etiam via, quâ illæ ipſæ Explicationes mox recentibus aliis infirmentur?

Ceterùm poterant ipſi quidem Clementi XI. prodeſſe explicationes, ad expurgandam, quám de ſe non immeritò concitarat, pravæ doctrinæ ſuſpicionem, & vitandum Concilii adversùs ſe judicium: at poſſunt-ne ipſius Conſtitutionis mutare naturam, & efficere ut ſalvâ veritate poſſit admitti?

Conſiderare SANCTITAS VESTRA dignetur tot Acta, tot teſtimonia, tot ſcripta Appellantium, in quibus alii ab ipſo ſtatim orti hujus negotii exordio, alii deinceps ipſo eventu, & attentâ conſideratione rerum meliùs edocti, tam ſolemniter declarant, ſe nunquam Conſtitutionem *Unigenitus*, quocunque demùm illa modo proponatur, accepturos; & donec abolitum fuerit Decretum illud, nullis ſe minarum terroribus, aut vexationum acerbitatibus, aut aliâ quacunque demum ratione compulſum iri,

ut Appellationem, quam ad veteris doctrinæ defensionem instituerunt, constanter urgere & persequi desistant.

Plura in hanc rem non adjiciemus, SANCTISSIME PATER; cetera, quæ à nobis omittuntur, SANCTITAS VESTRA pro suo singulari tuendæ sanctæ Sedis gloriæ, conservandæ veritatis, & pacis Ecclesiarum procurandæ studio abundè supplebit. Spem nobis maximam affert religio tua, fore ut oblatam ultrò à divinâ Providentiâ viam amplectaris, hoc est, fore ut subrepticiam declares Constitutionem *Unigenitus*, totique Orbi manifestes, quantùm ab eo absit SANCTITAS VESTRA, ut tueri velit ejusmodi Bullam, quæ damnat propositiones Sanctorum Patrum, voces summorum Pontificum, Decreta Conciliorum Generalium, & ipsum Scripturæ sacræ sermonem; eòque demùm tendit, ut sacra transmissæ ad nos uno tenore ab Apostolicis usque temporibus Traditionis catena, velut solutis in medio nexibus, disrumpatur.

XX. Concilii Generalis necessitas.

Hanc quoque firmissimam spem habemus, cumulaturam vota nostra SANCTITATEM VESTRAM convocatione Concilii Generalis: quod necessarium jam pridem, vehementerque desideratum à bonis

bis omnibus remedium, nunc etiam urgentiùs postulat multitudo illa incredibilis tot malorum, quæ infelici Bullæ ortum dedere, & quibus vicissim ista Bulla incrementum & quasi cumulum addidit vetustis vulneribus, quæ tot Patribus nostris lacrymas & gemitus expresserunt, nova insuper adjiciendo vulnera.

Ex quo enim illa Constitutio in lucem prodiit, quantùm infirmata & imminuta doctrinæ sanitas! Quæ in disciplinam morum invecta corruptio! Quot propositiones erroneæ, perniciosæ, blasphematoriæ, in diversis regni partibus docentur! Quot referti hac doctrinâ libri, nihil aliud quàm discordiæ flammam & schismatis dissidium spirantes, Romæ etiam, & jussu Clementis XI. disseminati sunt! Quàm infinita malorum multitudo grassatur per diversas Ecclesiæ partes! Hîc cultus Idolorum cum vero Dei cultu coadunatus: Illic orbatæ omninò Pastoribus Ecclesiæ, aut alienis in prædam derelictæ, non sine summo hæreticorum scandalo: multis in locis vana tantùm, animâque & spiritu carens Religionis species, substituta in locum veræ solidæque pietatis: in quibusdam etiam erectâ cervice dominans impietas: in omnibus ferè pas-

passim invalescens deploranda Evangelii ignoratio, crescensque in dies laxioris vitæ, novitatis, & mundanæ superbiæ studium.

S. Bas. Ep. 51. ad S. Athan. *Nos quidem, cùm statum hunc præsentem rerum intuemur, animúmque ad eas difficultates advertimus, quibus omnis planè boni spes & affectio quibusdam quasi vinculis impedita destinetur, parum abest quin de rebus nostris omninò desperemus. Cùm verò ad istam excelsæ mentis gravitatem convertimur*, SANCTISSIME PATER, *cogitamusque te morborum, qui per Ecclesiam sæviunt, medicum fuisse à Domino nostro constitutum, nunc resumptis viribus, ab illâ desperatione, quæ nos penitùs afflixerat, ad meliorem spem animum erigimus. Dissoluta est omninò Ecclesia, quemadmodum neque* SANCTITAS VESTRA *ignorat: Et cùm singulas ejus partes ex isto sublimioris animi fastigio, & velut speculâ consideras, vides quomodo collisis inter se navigantium in eodem mari navibus, jam naufragium imminet, partim vi procellæ, quæ violenter fluctus ciet, partim confuso tumultu, & mutuâ inter se invicem conflictatione navigantium. Sufficere debet hæc breviter adumbrata nostrorum malorum imago. Plura à nobis adjici nec postulat tuæ mentis sagacitas, nec* præ-

præsens iste rerum status liberè patitur. Quis autem regendo in tam sævâ tempestate clavo par erit gubernator? Quis idoneus suscitare Dominum, ut etiam nunc mari & ventis imperet? nisi ejusmodi Pontifex, cui hæc demum solida videtur gloria, ut per eum triumphet Veritas; hæc præstans magnitudo, ut pro grege Christi totum se devoveat; hæc verò felicitas, ut in diebus ejus regnet justitia & abundantia pacis. Magnâ cum reverentiâ subscripsimus,

SANCTISSIME PATER,

SANCTITATIS VESTRÆ,

Obsequentissimi ac devotissimi servi ac filii,

✠ FRANCISCUS, olim Episcopus Tornacensis.

✠ JOANNES-BAPTISTA, Episcopus Apamiensis.

✠ JOANNES, Episcopus Senecensis.

✠ CAROLUS-JOACHIM, Episcopus Montis-pessulani.

✠ PETRUS, Episcopus Boloniensis.

✠ CA-

✠ CAROLUS, Episcopus Autissiodorensis.

✠ MICHAEL, Episcopus Matisconensis.

Quinto Idus Junii.

Et hæc erat Inscriptio: Sanctissimo Domino, Domino nostro Innocentio Papæ XIII.

FINIS.